Chadwick


L XVII

N XX

DE FORMATRICE FOETVS LIBER

In quo oſtenditur animam rationalem infundi tertia die.

AVTHORE
THOMA FIENO
BELGII ET BAVARIÆ DVCVM Medico cubiculario, & in Academia Louanienſi Profeſſore primario.



ANTVERPIÆ,
Apud Gulielmum à Tongris.
Sub ſigno Gryphi.
M. DC. XX.
Cum Gratia & Priuilegio.

PERILLVSTRI
ATQVE
EXCELLENTISSIMO VIRO
D. FRANCISCO PAZ
REGIÆ CATHOLICÆ
MAIESTATIS
ET
SERENISSIMORVM
BELGII ARCHIDVCVM
ARCHIATRO D. C. Q.

TRADO multa in hoc libro, Excellentissime vir, contraria doctrinæ, non tantum Galeni & Aristotelis, sed & communi omnium fere tum Medicorum tum Philosophorum: fretus pondere rationum, quibus sustineri videntur. Quidni enim liceat, si ratio suffragetur? Etenim ratio omnium quorum-

cumque doctiſſimorum virorum au-thoritati longe eſt anteponenda. Au-thoritas æſtimanda eſt, non propter ſe, ſed propter rationem, cui inniti iu-dicatur: ſi ea refragetur, nullo loco eſt habenda. Etenim ſtudium omne conſiſtere debet in indagatione veri-tatis. veritas enim Philoſophiæ ac ſcientiæ omnis anima eſt: illud au-tem maxime eſt veritas; non quod huius vel illius opinioni, ſed quod rationi ac experientiæ maxime con-ſentaneum eſt. Quid refert, quis quid dixerit, ſi non bene, etſi contrarium rectæ rationi? Plato in Charmid. ſic inquit: *Quid refert, ô Socrates, ex quo audiuerim? Nihil profecto. Nec enim conſiderãdum quis dixerit, ſed vtrum vere dicatur.* Idem Galenus 6. Epi-dem. com. 2. his verbis: *Ego non ſo-lum in Hippocratis ſcriptis, ſed etiam*

in

in omnibus antiquorum libris obseruaui, vt non temere quid quisque ipsorum dixerit, probem; sed experientia ac ratione verumne sit an falsum , quod scripserunt, examinem. Magni viri fuerunt Hippocrates, Galenus, Aristoteles, & nonnulli alij, quorum aduersor opinionibus, sed homines tamen fuerunt, & errare potuerunt. *Difficile est*, inquit Galenus 2. de compos. medicam. sec. loca cap. 8. *vt qui homo sit, non in multis peccet : quædam videlicet penitus ignorando, quædam male iudicando, & quædam tandem negligentius tradendo.* Cur ergo non liceat eis aliquando aduersari? Infinita doctissime & acutissime scripserunt, in multis tamen errauerunt: plurima sciuerunt, sed aliqua tamen ignorarunt. An fatebimur eos ita omnem scientiæ puteum exhau-

ſiſſe, vt nihil poſteris reliquerint hau-
riendum? Deſciuerunt ipſi frequen-
ter à doctrina maiorum ſuorum; eam-
que impugnare, reijcere ac explodere
non ſunt veriti; cur non liceat &
idem nobis facere; aut cur nobis ipſis
opprobrio vertamus, eadem qua ipſi,
vti libertate? An nata fuerunt inge-
nia eorum libera, noſtra vero in ſer-
uitute; vt debeant eſſe mancipia eo-
rum? Gloriatur Galenus de ſe, quod
libero ſemper ingenio præditus fue-
rit, & veritatẽ doctrinæ Hippocratis,
Platonis, Chryſippi, Ariſtotelis, alio-
rumque antepoſuerit; cur nobis igno-
minioſum ſit veritatis cauſa aliquan-
do quoque recedere à doctrina eo-
rumdem? Quinimo 2. Methodi & 6.
Epidemiorum vocat doctrinam illo-
rum tyrannicam & illos ſeruos, qui
ita præceptoribus ſunt addicti, vt ne
latum

latum vnguem à doctrina eorum recedere audeant. Equidem, fateor, illa quoque & ego semper fui ingenij libertate, vt nunquam magnopere curauerim Hippocrates dixerit an Galenus; Plato an Aristoteles, sed qua ratione fulti. Scire est rem per causas cognoscere. & tum demum vere scimus, cum rerum omnium cognoscimus rationem; non cum authoritatem: authoritas enim, qua talis, neque rerum essentiam neque causas per se demonstrat. Interim tamen ea sæculi nostri infelicitas ac diffidentia est, vt à maiorum opinione dilabi piaculum videatur; & qui id facere ausus fuerit, omnium ora, dentes, calamosque incurrat. Ea ratio est, Excellentissime atque Eruditissime vir, cur librum hunc Ampl. Tuæ dedicare non dubitauerim: vt, quia summa

 polles

polles eruditione ingeniјque perſpicacitate, æquum iudicem; & quia maxima apud omnes vales æſtimatione, ſi iudicio ſuffrageris, validum habeat protectorem. Quis enim auſus fuerit lacerare, ſi tu probaueris, aut commendaueris? Vel hoc maximum eſſet eius inſcitiæ argumentum, à tuo iudicio diſcrepare. Accipe ergo æquo animo; lege, examina, tuere; & Fienum tuum ſolito affectu proſequere. Louanij hac 15. Ianuarij, anno 1620.

Tuæ Excellentiæ colentiſsimus
THOMAS FIENVS.

AD CLARISSIMVM VIRVM
D. THOMAM FIENVM
COLLEGAM CHARISSIMVM
De vi animæ Formatrice ſubtiliter ac noue diſſerentem.

LEGERAT *hunc librum Rerum* NATVRA; *Fieni,*
Neſcio quo caſu, nomine præterito.
Ac cernens operum patefacta Arcana ſuorum,
Adducto hæc dixit verba ſupercilio,
Aut Egomet ſcripſi hæc; datur aut Natura ſecunda,
Aut Genius noſtro maior Ariſtotele.

GERARDVS DE VILEERS
Med. Profeſſ. ordinarius.

ΕΙΣ ΤΑΣ ΠΕΡΙ ΚΥΗΣΕΩΣ ΔΙΑΛΕΞΕΙΣ

ΤΑΣ ΤΟΥ ΛΑΜΠΡΩΤΑΤΟΥ

ΘΩΜΑ ΤΟΥ ΦΕΙΗΝΟΥ

ΤΩ ΤΩΝ ΙΑΤΡΩΝ ΚΑΙ ΣΟΦΩΝ ΠΑΝΥ.

Ἰητρῶν μέγα θαῦμα, κλέος σοφίης τε, μέγιστος
  Καὶ παράδοξα ποιεῖν, καὶ παράδοξα λέγειν,
Τίς σοὶ τῆς φύσεως κρυφίας ὤιξε κελεύθους,
  Ὥστ' ἄγνωστα πάλαι, εἰς φάος εἰσαγαγεῖν;
Οὐδὲν Ἀριστοτέλης ἐδιδάξατο, ἠδὲ Γαληνὸς,
  Οὐδ' Ισωρ ἐργάτης πρῶτος ἀκεσορίης.
Ἀλλὰ τεὴν, ΦΕΙΗΝΕ, φύσις καταγέγραφε φωνὴν,
  Ἠὲ σὺ τῆς κείνης ἰδμοσύνης ταμίας.

PETRVS CASTELLANVS
Doctor Med.

AD CLARISSIMVM VIRVM

D. THOMAM FIENVM

IN

ACADEMIA LOVANIENSI

MEDICINÆ COLVMEN.

FAELICIS *ala nuper ingenî, polo*
Subuectus, infames (enim ita vulgus putat)
Iubas Cometarum astricos inter choros
Circi volantis ire, viridique ætheris
E ventre abortum sideris nodum noui,
Fratremque, sed qui non fugax æuum ferat,
Gregis perennis, horridæ silentia,
Qui noctis æterna regit constans face,
Fiene docuisti. Relapsus nunc polo
Volace penna, scribis & pingis simul;
Non amplius capace quod celet sinu
Cortina mundi; paruulo sed fornice
Quem miscet, & tenerum coquit, durat parens
Humana fœtum. Haut magna res, in quam tamen
Consumit artem & vltimam extendit manum
Natura sapiens. Machinas quis totiuges
Instruxit exigui modo corpusculi?
Quis obsequentem torquet in neruos, velut
Funes, Prometheus fragilis indolem luti?
Quæ textiles periti nij docta manu

Tramas

Tramas Arachne nectit? aut millesimo
Conspirat ilia artifex volumine?
Quod venularum tubulos cælum cauat,
Qua membra longe sanguinans rigat iecur?
Aut riuulos singultientis corculi?
Turbæ, fatebor, hactenus mixtus fui;
Et seminalem haut scio satis quam vim dabam
Materiæ inerti. sed libro nunc aureo,
Et publica (haut dubium) fide animulam asseris
Limo recenti: quæ arte, vel magis Deo
Instincta placitum defodit sibi larem.
Sic vngue nidos significe lutat soror
Parua Philomelæ, circinatque argenteo
Rostro loquacibus instruens natis thoros.
Prius dedisti maximum miraculum
Cæli capacis, alterum nunc das soli.
Plura erudita, curiosa si manu
Vir magne dones, quæ ingenî isto acumine
Dispôsta habes, breui nihil mirabimur.

LIB. FROMONDVS
Philos. Profess.

QVÆSTIO I.

8. *Quæ ergo & qualis ſit illa anima, quæ ſemini poſt conceptionem primo aduenit ac Conformationem facit, vegetatiuane, ſenſitiua, an rationalis.*

9. *An potentia Conformatrix ſit generatiua, ſeu ſpecies eius.*

FINIS.

AVTHORES,

Quorum nomina in hoc libro citantur.

A.

Albertus Magnus.
Alexāder Aphrodisæus.
Argenterius.
Aristoteles.
Auerrhoes.
D. Augustinus.
Auicenna.
Archang. Picolomineus.

C.

Caietanus.
Capiuaccius.
Cardanus.
Carerus.
Christophorus Vega.
Citadinus.
Conimbricenses.
Costæus.

D.

Didacus Masius.

F.

Fabius Pacius.
Ferdin. Mena.
Fernelius.
Fonseca.
Forliuiensis.
Franciscus Picolomineus.

G.

Galenus.
Gandauensis.
Gentilis.

H.

Halyabbas.
D. Hieronymus.
Hippocrates.
Hurtadus Mendoza.

I.

Ianninius.
Iauellius.
Ioubertus.

L.

Lactantius.
Laurentius.

Literæ

THOMÆ FIENI DE FORMATRICE FOETVS

QVÆSTIO I.

Quæ sit causa efficiens Conformationis fœtus, in vtero matris.

PERARDVA atque obſcura res eſt inueſtigare effectricem cauſam conformationis ſeminis in vtero matris. Nulli eam, meo iudicio, aſſecuti ſunt; aut ſi qui ſint ſubodorati, quod pauculis antiquorum contigit, ſaltem neque eam firmiter tenuerunt, neque clare aperuerunt, neque vllis rationibus adſtruxerunt. Nos opinionem noſtram in medium afferemus, eamque ita firmis, atque euidentibus, vt opinor, rationibus adſtruemus, vt nullus cuipiam deinceps ſuperfuturus ſit dubitandi locus. Quod dum facio, ſi in nonnullis, à communi, ac antiquorum, tum Galeni, tum Ariſtotelis doctrina recedo; ſciant me illum eſſe, qui in nullius magiſtri verba iurarim, ſed veritatem,

ac rationum pondus omni quorumcumque authoritati anteponam.

Variæ fuerunt circa eam tum Medicorum, tum Philosophorum opiniones. Aliqui dixerunt efficientem conformationis causam esse Deum ipsum; alij intelligentias; alij animam mundi; alij corpora cælestia; alij vterum; alij animam seminis; alij virtutem quandam diuinam, & admirabilem vicariam animæ parentum, semini inexistentem; alij calorem natiuum, aliaque. Plato, teste Plotino 8 tertiæ Enneados, & Themistius commentario de anima, & 12. Metaphysicorum, & Platonici aliqui, teste Galeno, libro de Fœtus formatione, capite 22. dixerunt esse animam mundi, & æternam mentem rerum omnium opificem. Auerrhoes 2. Metaphys. comment. 31. & Auicenna 6. natural. partic. 4. cap. 4. alijque Arabes, dixerunt, esse quandam intelligentiam Cholcodæam appellatam, quam omnium formarum sublunarium effectricem esse statuebant. Auicenna Fen 1. primi, doctrina 6. capite 2. & Fen 2. tertij tractatu 1. capite 2. videtur eam adscribere Creatori, & dicit esse virtutem quandam procedentem à Creatore, quæ operetur ex præcepto Creatoris. Trismegistus Philosophus libro de potentia, & sapientia capite 5. dicit illam neque in semine esse, neque in generante,

neque esse naturæ opus, sed causam superiorem, summo intellectu ac prudentia præditam. Aristoteles, etsi 2. Animæ dicat esse facultatem animæ vegetantem, tamen 12. Metaphys. capite 18. adiungit intelligentiam cælestem, & 2. de generatione animalium capite 3. dicit esse cælestem quandam vim, cum cælesti calore in spiritu seminis residentem. Galenus etsi variis locis ponat ipsam esse vim quandam semini parentum inexistentem; aliis tamen multis ambigit. Secundo de temperament. capite 14. dicit de hac etiam Aristotelem dubitasse, vtrum scilicet diuinioris originis sit, necne; asseritque qualitates primas minime formationis efficientem causam esse, sed ipsas esse quidem instrumentum, formatorem vero esse alium: quasi etiã cum Aristotele diceret illam originis esse longe diuinioris. Decimo quinto de vsu partium capite 1. & 9 de placitis capite 15. causæ formatricis summam sapientiam, & potentiam admiratur; quænam vero sit, non dicit: dum autem summam ei potentiam & sapientiam adscribit, absque dubio eam diuinam quoque esse videtur agnoscere: dicitque Hippocratem eam naturam appellasse, non ausum dicere qualis, cuiusue substãtiæ sit. Et 1. de facultatibus natural. capite 5. diuinã originẽ habere scripsit, & libro de Fœtus formatione

cap 6. ad longũ disputat qualis ipsa sit, an Deus, an anima mundi, an natura, an anima semini superueniẽs; quæ suum sibi domiciliũ fabricetur. Nam cũ considerat summã, quæ in fœtus cõformatione relucet, sapientiam, & potentiã, dubitat an Deus aliquis prudens, & potens faciat eam, qui prius sua immensa sapientia considerauerit quæ, & quomodo partes omnes ad actiones sint fabricandæ, & quod concepit sua infinita potentia exequatur. Naturã enim, seu animam vegetatiuam, cum bruta sit, & sapientiæ expers, asserit tanti operis authorem esse non posse. Quod anima rationalis suum sibi domicilium fabricetur, ex vna parte videtur suspicari ex eo, quod ipsa sciat vti partibus suis solo instinctu, sine vlla doctrina, & sciat mouere modo hunc, modo illum musculum ad vsum requisitum; & ex totcentenis eligere eum, qui ad actionem intentam est necessarius: cum tamen nos nec musculos, nec situm eorum, nec numerum, nec vsum cognoscamus: & quod equi hinnulus vix natus sciat suis membris vti, pedibus calcitrare; ceruus cornibus petere, & alia animalia dentibus mordere, etiam antequam cornua & dentes nata sint. Ex altera vero parte ducitur ad credendum oppositum ex eo, quod anima partes sui corporis non cognoscat; quod absque dubio esse deberet, si eas

ipſamet eſſet fabricata. Dubitat etiam an anima mundi poſſit eſſe noſtri conformatrix. Sed cum conſiderat, quod illa eadem deberet etiam eſſe conformatrix culicum, & muſcarum, & viliſſimorum vermium, in eam venit opinionem, vt eam credat eſſe non poſſe; propterea quod talium animalculorum conformatio illius nobilitate, maieſtate & excellentia videatur eſſe indigna. Et quamuis iudicauerit animam vegetatiuam, quam naturam appellat, non poſſe eſſe effectricem noſtræ conformationis, propterea quod bruta & ſapientiæ expers ſit; tamen quando ex altera parte conſiderat, quod filij parentibus ſimiles prodeant, iudicat neque Deum, neque mundi animam poſſe eſſe noſtri conformatricem, propterea quod illi à parentibus non procedant; ſed peculiarem aliquam potentiam vegetatiuam ab ipſis parentibus in ſemen ac fœtum deriuatam. Et tandem omnibus vndiq; perpenſis adhuc concludit, & aperte fatetur, ſe cauſam noſtri conformatricem ignorare: qualiſcunque tamen ea ſit, infinita potentia, & ſapientia præditam eſſe; dicitque ſe nullos vnquam Philoſophos reperiſſe, qui potuerint ſibi veram cauſam conformatricem deſignare: rogatque omnes, vt ſi quidquam de ea repererint, id ſibi velint communicare. Sacræ literæ videntur eam Creatori adſcribere. Pro-

pheta Dauid Psalmo 118. *Manus*, inquit, *tuæ fecerunt me & plasmauerunt me.* Et S. Iob capite 10. sic loquitur: *Tuæ manus elaborauerunt me, ac fecerunt me quantus, quantus sum; an non velut lac fudisti me, & velut caseum me coagulasti? ossibus & neruis me contexisti?* Scotus in 2. sententiarum distinctione 18. dicit potentiam conformatricem excedere facultatem seminis connaturalem, pro eiusque inuentione ad virtutem diuinam esse recurrendum. In hac opinionum diuersitate sit

PRIMA CONCLVSIO: Neque Deus, neque intelligentiæ, neque anima mundi sunt efficiens conformationis causa. Hæc conclusio secundum omnes suas partes à multis est satis probata; quare non est necessum à nobis de nouo multis rationibus operose probari. Nō negamus Deum, ac cælestia corpora ad hominis aliorumque animalium conformationem concurrere, vt causam primam, & vniuersalem: nam, vt inquit Aristoteles 2. Physicor. 2. Homo hominem generat, & Sol: sed negamus concurrere vt causam proximam de qua hic quæstio est. Deum nō esse causam proximam, ex eo patet; quod sic nulla vnquam in conformatione monstra contingerent: cuius contrarium patet in omnium tum animalium, tum plantarum conformatione. Deus enim errare nūquam pos-

sset.

ſet. Intelligentias cæleſtes non conformare probatur: quia quod conformat, illud ipſum etiam ſeminis partes alterat, & immutat, exiccat, calefacit, & ad formam oſſis, carnis, nerui diſponit: ſubſtantiæ vero abſtractæ, vt inquit D. Thomas 1 parte quæſt. 95. articulo 2. non inducunt formas in materiam, ſed ſolum corporeæ, forma, & materia præditæ. Animam mundi etiam non conformare, ex eo eſt manifeſtum; quod mundus minime ſit animatus, eiuſque anima iam diu à Philoſophis omnibus ſit exploſa. Nullam earum cõformationis cauſam eſſe, vno argumento alij probant; quod ſic non poſſet dari ratio ſimilitudinis prolium cum parentibus. Sed argumentum non eſt efficax: quia, vt infra dicemus, poteſt illa ſimilitudo contingere, non primo & per ſe ratione cauſæ efficientis; ſed ratione materiæ, in qua ſunt diſpoſitiones, & ſpecies exemplares tali modo efficientem dirigentes, vt ſecundum eas valeat ſemen aliter atque aliter conformare.

Ad rationes, quæ Galeni animum in diuerſa egerunt, ſic poteſt reſponderi. Ad hoc, quod Deum aliquem, vel mundi animã noſtri opificem eſſe ſuſpicetur, ex eo quod in conformatiõne infinita reluceat potentia, & ſapientia, dici poteſt, ex eo non colligi illas debere eſſe in ipſamet cauſa conformatrice;

seu ipsammet conformatricem debere esse summe sapientem & potentem; sed illam sapientiam & potentiam esse in Creatore, qui causæ secundæ, ac facultati conformatrici indiderit vim solo quodam instinctu, & sine vlla prudentia vel intellectu, tam admirabile opus, & tam artificiosam conformationem edendi, qualem ipse sua immensa sapientia præuidit ad rerũ animatarum, singularũ in suo genere, perfectionem, atque actiones necessariam esse. Ad hoc, quod suspicetur animam embryonis conformandi vim habere, suumque sibi domicilium fabricari; ex eo, quod ipsa sciat certis partibus vti ad certa munia, quæ ipsa neque sensu neque intellectu cognoscit; dici potest, eum non bene colligere; quia hoc posset anima facere solo instinctu naturali, etiamsi partes, quas ita mouet, quibusque sic vtitur, fabricata non fuisset. Etenim, sicut artifex bene potest vti ex arte ad varios vsus instrumentis à se non fabricatis; ita & anima ipsa instinctu naturali, etiamsi ea non fuerit fabricata. Quod è contra colligat animam corpus suum non fuisse fabricatam; eo quod singularum partium vsum, situm, naturam, conformationem non cognoscat, fallitur. Posset enim esse, quod ipsum quidem fabricata fuisset, vt reuera est, nectamen earum vsum, situm, ac naturam, seu sensu, seu intellectu cognosceret;

gnoſceret: ſicut infra latius oſtẽdemus Quod animam mundi nos minime conformare ſuſpicetur, ex eo, quod inde hoc abſurdi ſequeretur, quod ſic eadem omnium quoque viliſſimorum animalculorum cimicum, pediculorum conformatrix ſtatui deberet; non etiam bene mouetur. quia hoc eius excellentia atque nobilitate indignum minime foret. Nam, ſicuti non eſt indignum immẽſa Dei maieſtate, ad eorum productionem, omneſque eorũ actiones effectiue ac immediate concurrere, & ſi quidem non influxu particulari, ſed tantum vniuerſali; ita quoque non eſſet indignũ excellentia animæ mundi (ſi qua foret) ad eorum productionem, ac conformationem quoquo tandem influxu, ſiue particulari, ſiue vniuerſali concurrere. Quapropter ſepoſitis hiſce cauſis, quæ non ſunt niſi cauſæ primæ, vniuerſales, remotæ, ac mediatæ; quæramus & videamus.

QVÆSTIO II.

An cauſa conformatrix ſit virtus vteri an ſeminis.

ET videtur multis rationibus probari eſſe aliqua virtus vteri.

Primo: quia Galenus 1 de semine capite 13. videtur saltem aliquam partialem vim cōformatricem vtero adscribere. Etenim ibi reddens rationem, cur in vtero partes spermaticæ totæ, & de nouo constitui possint, extra vterum vero & in adultis ne paruæ quidem possint regenerari; sic inquit: *At in ipsa prima ex semine generatione tum vniuersus humor adhuc collectus est, ex quo vasorum formatio existit, tum duplex fabricatrix vis adest, & seminis, & conceptaculorum vteri: quibus semen proiectum ad se ferat.* Mox iterum repetit his verbis: *Nihil igitur mirandum est, si in fœtibus in vtero prima naturæ instrumenta celeriter formentur: quippe cum & materiæ copia, & procreantium ipsa facultatum efficacia maxime adsit.* Quibus non vnam, sed duas esse conformatrices; vnam seminis, alteram vteri, (sicut ante dixerat) videtur insinuare.

Secundo: Virtus conformatrix debet esse propinqua semini: nam si esset remota, non posset ipsum conformare. Ergo vel debet inesse semini vel vtero; nam illa sunt propinqua: non potest inesse semini; ergo vtero. Minor probatur: quia si inesset semini, semen esset ipsum conformans; atqui non est conformans; quia est ipsum conformatum: vnũ autem & idem non potest esse conformans, & conformatum simul; agens scilicet, & patiens.

tiens. Ergo. Confirmatur primo: Materia & Forma ſunt cauſæ intrinſecæ; efficiens & finis extrinſecæ: at ſi conformatrix eſſet in ſemine, cum conformatrix ſit efficiens, efficiēs eſſet intrinſeca. Confirmatur ſecundo: Si ſemen conformaret, & immutaret ſeipſum, ageret ad ſui deſtructionem: ſeminis enim ad naturam carnis, oſſis, nerui, &c. conuerſio, eſt eius deſtructio: at hoc eſt abſurdum; quia nihil agit ad ſui deſtructionem. Ergo.

Tertio. Fœtus eſt pars matris; ergo operatio omnis quæ fit in eo, fit ab anima matris; ergo ab ea vt ineſt vtero, ſeu vt ineſt illi parti quæ fœtui eſt proxima; talis eſt vterus. Ergo. Antecedens probatur, tum authoritate, tum ratione. Authoritate; quia Galenus comment. ſuper 1. Aphoriſ. ſectionis 4. dicit fœtum ita alligari matri, ſicut fructus arbori: & Stoici, vt eſt apud Plutarchum 5. de placitis capite 15. dicebant fœtum eſſe partem ventris ſicut fructus arboris, cum maturuerit, inquiunt, decidit. Ratione; quia ita videtur ſe habere fœtus ad matrem, ſicut oua ad gallinam: at oua quandiu ſunt in gallina ſunt partes gallinæ; & nutriuntur, & augentur, & formantur ab anima gallinæ, ſicut reliquæ partes. Ergo.

Quarto. Si vterus non conformaret, ſed conformatrix eſſet intrinſeca ſemini; ſe-

queretur

queretur quod ſemen virtute diabolica tranſlatum in ſtomachum, thoracem, abdomen, inteſtina poſſet conformari : hoc eſt abſurdũ, & ab omni experientia alienum. Ergo. Maior probatur; quia tum vterus nihil conferret, niſi locum, & ſuum calorem natiuum: at illa æque poſſunt conferre thorax, ſtomachus, & aliæ præfatæ partes, quam vterus. Ergo. Dices forte ideo non poſſe in illis fieri conformationem, quia in illis eſt defectus ſanguinis menſtrui, & in illis non poteſt ita ad ſemen deriuari, ſicut in vtero. Sed non valet; quia, etſi propter illam cauſam non poſſet quidem embryo euadere perfectus, ac carneus; poſſet tamen animari, & ad longum tempus, & vſque ad multos dies incipere conformari, quouſque eius requireretur affluxus. Etenim vſque ad triginta dies eſt totus albus, & femineus, & nulla in eo ſanguinis nota apparet; & tamen eſt perfecte, & ſecundum omnia membra conformatus: ex quo patet eum ſanguine menſtruo vſque ad illud tempus opus non habere.

CONCLVSIO ſecunda. Virtus conformatrix non eſt in vtero.

Hæc concluſio eſt communis, vt inquit Thomas de Garbo in ſumma, quæſtione 57. quam expreſſe tradunt, Auerrhoes 2. Colliget, capite 10. Albertus 9. de animalibus

tractatu

tractatu 1. capite 1. alijque omnes, qui vim illam ſemini adſcripſerunt. Hanc nonnulli probant his argumentis.

Primo. Si conformatrix eſſet in vtero, & non in ſemine; nulla procederet virtus conformatrix à patre, ſed ſolum à matre: & nullum procederet principium actiuum generationis à patre, ſed ſolum paſſiuum: & conſequenter pater vere, & actiue non generaret, ſed tantum mater: hoc eſt abſurdum. Ergo. Immo ſequeretur matrem ſolam poſſe in ſeipſa generare ſine viro: quia haberet totum principium actiuum, & haberet ſufficiens principium paſſiuum: quia habet ſemen, & ſanguinem menſtruum, & locum, & conſequenter omnia requiſita. Neque poteſt dici, ideo non poſſe per ſeipſam generare, quia nō haberet ſufficientem quantitatem principij paſſiui, nempe ſeminis; propterea quod non haberet ſemen viri: quia certum eſt, ipſam poſſe ſupplere quantitatem ſeminis maſculini requiſiti. Poſſet enim mulier ſanguinea, robuſta, calida, magno corpore prædita, quæ multum ſeminis diuturna à coitu ceſſatione congregaſſet, tantum ſeminis ſola ſubminiſtrare, quantum ab vtroque ſexu requiſitum eſt ad generationem. Verum argumentum non videtur efficaciter probare intentum. Nam prima ſequela nihil videtur habere abſurdi.

ſurdi. Non enim eſſet abſurdum in natura; etſi quidé eſſet in doctrina Galeni, & Ariſtotelis; virum non concurrere actiue ad generationem; vel mulierem magis concurrere, & magis actiue concurrere, quam virũ. Nam quid miri eſſet, cum mulier à viro ſuperetur, multis animæ actionibus, virum ab illa ſuperari actione generationis? Etenim, cum mulier locum præſtet, calorem natiuum, ſpiritus, alimentum pro toto tempore generationis; inſuper ſemen tam bene quam vir; fateri equidem oportet in quacunque fere opinione, ipſam plus viro concurrere ad generationem. Neque ſequitur, quod ipſa ſola per ſe poſſet generare: quia etſi quidem ſupplere poſſet ſeminis virilis quantitatem, non poſſet tamen ſupplere eius virtutem, & proprietatem. Nam etſi non differat virile ſemen ſpecie & eſſentia, à muliebri, differt tamen tali proprietate, & tali perfectione nobis occulta, pendente à natura ſexus, vt eam mulier qualicumque ſuo temperamento, ac robore aſſequi, & adæquare nulla ratione poſſit.

Probatur etiam ſecundo ſic: ſi vterus conformaret, non eſſet ratio, cur vnquam fœtus eſset ſimilis patri. Vterus enim nullam habet notitiam patris; & ſic nunquam poſset cõformare ad ſimilitudinem eius. Sed contra eſt; quia fœtus ſæpe ſimilis eſt patri, vt eſt mani-

manifeſtum. Ergo ipſe non conformat; ſed aliquid neceſſario à patre procedens, cui etiam facultas illa inſit. Verum hoc etiam argumentum non ſtringit. Nam ſimilitudo illa, vt iam dixi, non neceſſario primo & per ſe à principio effectiuo, ſeu ipſa conformatrice, ſed à ſpeciebus exemplaribus ſemini inhærentibus, atque ab ipſa materiæ diſpoſitione, ac conformabilitate poteſt dependere.

Probatur tertio: & argumentum eſt ſimile priori. Quia, ſi vterus cõformaret, nunquã cõformaret maſculũ, ſed ſemper fœmellã; quia ſemper cõformaret mẽbra genitalia ad ſimilitudinẽ ſui, & nõ ad ſimilitudinẽ maris. Verum nec hoc etiã efficaciter probat: quia, ſicut poteſt vterus cõformare multa mẽbra ſibi nõ ſimilia, nẽpe brachia, manus, oculos, aures; ita poſſet etiam conformare genitalia viri, etſi ea nõ eſſent ſibi ſimilia. Etenim produceret illa, operans nõ ſolũ in virtute vteri, ſed in virtute animæ vtero inexiſtentis. quæ ſicut vtero, ita & reliquis corporis partibus inexiſtit: & ſicut habet vim eminenter omnia reliqua corporis membra conformandi, ita etiam habere poſſet vim genitalia; & tam bene genitalia viri, quam mulieris conformandi.

Probatur quarto: Vterus mulieris non habet vim reproducendi, & reſtaurandi vel minimam partem deperditam ſui indiuidui: ergo

ergo multo minus de nouo generandi, ac producendi omnes partes fœtus. Sed neque hoc validius eſt. Nam, ſi valeret; valeret in omni opinione, vbicunque demum vel in quocunque ſubiecto conformatrix reſidere ſtatueretur. Certum enim eſt, vbicunque reſidere ſtatuatur, poſſe quidem ipſam ex ſemine, & in vtero partes omnes de nouo producere; deperditas vero in corpore iam genito non poſſe reſtaurare Quæ illius cauſa ſit, ibi videndum eſt; vbi diſputatur, cur deperditæ ſpermaticæ partes non poſſint reſtaurari. Itaque probatur efficacius argumentis quæ ſequuntur: ſit ergo

Quintum. Oua auium non conformantur virtute alicuius vteri: non enim conformantur intra auem, ſed extra; ergo neque ſemen animalium: ſed ſicut illa conformantur ab aliqua virtute ſibi intrinſeca, ita & hoc.

Sexto. Terra in plantis eſt ſicut vterus in animalibus; at terra nullam habet vim plantas conformandi; ergo nec vterus. Minor probatur: quia ſi terra conformaret, non poſſet niſi vnius ſpeciei plantam producere: vna enim & eadem particula terræ in eodem vaſe contenta non poſset habere diuerſas facultates conformatrices, quarum vna betam, alia roſas, alia arborem conformaret. Contrarium eſt verum. Ergo.

Septimo.

Septimo. Si vterus semen conformaret, deberet semini esse propinquus, & ipsum tangere. actio enim fit per contactum: at modo non tangit, sed à semine est separatus, & inter semen & ipsum, interiacent membranæ fœtus, & vrina, & sudores. Ergo. Dices influere vim formatricem ab vtero in semen per vasa vmbilicalia; sed responsio friuola est: quia, si natura voluisset vim illam per ea sic influere, fecisset illa breuia, lata, concaua, ac recta, quo facultas facilius influere posset: modo vero fecit contraria omnia. Ergo. Accedit, quod, si ipsa per illa vasa sic influeret, citius, & perfectius conformarentur illæ partes, ad quas vasa illa immediatius perueniunt, nempe cor, & hepar, quam illæ ad quas non pertingunt. fortior enim est actio in propinquum, quam in remotum. At ita non est: tam cito enim conformantur pedes, brachia, caput, quàm iam dicta, vt experientia anatomica est manifestum. Ergo.

Octauo. Si vterus conformaret, non posset fieri superfœtatio. Etenim in superfœtatione, vno & eodem tempore diuersimode fit conformatio; eodem enim tempore fit cõformatio aliter circa semen iam biduo, triduo, aut decem diebus conceptum, quam circa conceptum ab vno mense, duobus, aut tribus. Atqui fit superfœtatio; ergo vterus non

conformat. Sequela probatur. Quia vterus non potest eodem tempore diuersa semina diuersimode conformare: vnum enim, & idē, eodem modo se habens circa materiam eandem, non potest diuersimode operari.

Nono. Sequeretur vterum vno, & eodem tempore conformare animalia diuersæ speciei; nempe hominem & molam animatam: at hoc facere non potest. non enim insunt vtero distinctæ specie conformatrices. Ergo.

Decimo. Si conformatrix resideret in vtero, sequeretur in fœtu iam nato, & præcipue masculo nullam remanere posse facultatem conformatricem: hoc est falsum. Ergo. Maior probatur: quia in fœtu non est Vterus; deficiente autem subiecto, & organo deficit potentia. Minor probatur; quia in adultis remanet quædam vis formatrix, per quam in tam diuturna, & reciproca substantiæ nostræ deperditione, & noui alimenti repositione; in corporis incremento; in frequenti gracilitatis, ac obesitatis nonnunquam vicissitudine, eadem semper corporis forma conseruatur: per quam dentes noui producuntur: paruæ venulæ, vt Galenus testatur, in cauis vlceribus aliquando regenerantur, &c.

CONCLVSIO tertia. Virtus cōformatrix residet in semine; estq; semini intrinsēca.

Hanc conclusionem tenent fere omnes Medici,

Medici, ac Philoſophi. Galenus, etſi aliquando dubitet, quæ ſit virtus conformatrix; an anima mundi, an Deus aliquis; centum tamē locis clare ac manifeſte docet formatricem vim ſemini ineſſe. Libro de fœtus formatione cap. 2 ſic inquit. *Facta autem hac in orificiis vuluæ radicatione, conſentaneum videtur, vt ſemen, quod ipſa formauit, ipſis etiam ex vulua ſanguinem attrahendo alimentum ſuppeditet.* Et capite 3. ſic inquit: *Videamus poſt hac, quomodo reliquum fœtum à vi ſeminis totum conformarè conueniat.* Et capite 5. ſic inquit: *Vade rurſum quemadmodum ſuperius etiam dicebamus, ſemen opificis rationem ſubibit.* Et paulo poſt: *Quo vero tempore ſeminis vis hæc format, quædam etiam alia veroſimile eſt, tum his adiacentia, tum inter hæc, & vuluam ſita formari.* Idem dicit capite 14. & 1. de ſemine capite 8. & 18. & 2. de ſemine capite 1. 2. & 5. & 14. de vſu partium, capite 7. & 8. & pluribus aliis locis. Idem infinitis locis docet Ariſtoteles; ſecundo de generatione animal. capite 1. ſic ait: *Sed à quo partes corporis generentur, quærimus; aut enim extrinſecus aliquid, aut in genitura & ſemine inſitum agit, idque aut pars aliqua animæ, aut anima, aut habens animam eſt. Sed ab aliquo extrinſecus agente effici quæque aut viſcera, aut alia membra, remotum à ratione eſt. Fieri enim non poteſt vt moueat, quod non*

tangit; & quicquam ab eo, quod non moueat, afficiatur. Igitur in ipso conceptu aliquid iam inest, quod aut pars eius sit, aut seorsim contineatur. Sed aliud quippiam esse abiunctum, à ratione est. Et subiungit: *Pars ergo eius est quod protinus in semine existit.* Et subdit: *Semen igitur tale est, motumque habet, & principium tale, vt motu peracto pars existat, quæque, eademque sit animata.* Et eodem libro capite 3. dicit in *semine esse quod facit, vt fœcunda sint semina*; & eodem capite sic inquit: *Sequitur vt & dubitemus & dicamus, si in ijs quæ semen emittunt in fœminam nulla pars constituendi conceptus sit quod subierit; quonam vertatur corpulentia eius, quando ipsum facultate, quam in se continet, agit.* Primo de partibus animalium sic ait: *Semen namque principium est & efficiens rei quæ gignitur.* Porro 1. de generatione animalium capite 20. dicit semen viri esse sicut Fabrum respectu lecti, & sicut coagulum in lacte respectu seminis muliebris. Et 2. de generatione animalium capite 6. & 3. de generat. animal. capite 11. & 4. de generatione animal. capite 4. & variis locis aliis dicit semini hanc vim inesse semenque viri esse efficiens, mulieris vero materiam. Idem tenet Auicenna 2. tertij tractatu 1. capite 3. & 9. de animalibus capite 8. & 15. de animalibus capite 2. & Theophrastus 4. de caus. plant. capite 3. & Auerrhoes 2. Colliget capite 10. & Haly-
Abbas

Abbas 3. theoricæ capite 34. & Albertus 9. de animalibus tractatu 1. capite 1. & tractatu 2. capite 3. & D. Thomas parte 1. quæst. 118 articulo 1. & parte 3. quæst. 32. articulo 4. & ibi Caietanus: & 2. contra gentes capite 89. & Zonzinas 8. Metaphyſ. quæſtione 18. & Iauellus quæſt. vltima. Et inter Medicos Turiſanus Fernelius, Valleſius, Peramatus, Laurentius, Saxoma, Carrerius, Zegarra, Mercurialis, Maſſaria, Archangelus, & reliqui fere omnes, excepto Fabio Pacio, qui comment. in caput 3. libri 3. Methodi, eam vtero imprudenter adſcribit. Porro quando dico conformatricem eſſe in ſemine, non loquor de ſemine formaliter, ſeu vt eſſentialiter eſt ſemẽ; ſed materialiter, id eſt de illa materia ſeminali quæ in vtero eſt recepta: non reſpiciẽdo, an ſit animata necne; & an ſit adhuc formaliter ſemen; an vero iam embryo factus: de quo poſtmodum ſum acturus.

Probatur autem concluſio ratione: primo; conformatio eſt actio vitalis, id eſt, eſt actus vitæ: actus vitæ fiunt à principio interno, non externo; ergo non ab vtero, qui ſemini eſt externus; ſed ab aliquo ſemini intrinſeco.

Secundo. Semen vtero conceptum mox obducitur membrana, & includitur ei: in medio autem ſeminis incipit fieri conformatio embryonis, qui non eſt maior magnitudine

grani hordei: illum embryonem circumſtat reliqua maſſa ſeminis concepti; adeo quod in medio totius ſeminis, incipiat illius conformatio: ergo ibi in medio eſt facultas cõformatrix, & conſequenter in ſemine. Vbi enim incipit operatio, ibi certum eſt conformatricem eſſe. Quia, ſi eſſet extra; potius inciperet conformare externam partem, ſeu circumferentiam totius maſſæ ſeminalis in vterum receptæ, quam intimam, ſeu illam quæ eſt in centro eius.

Tertio. Semen, ſecundum omnes partes ſui incipit conformari æqualiter; tam cito internæ partes, quam externæ, & contra: & tã cito ſupernæ, quam infernæ, & contra: & tam cito digiti manus, quam digiti pedis; & tam cito illi, quam renes, inteſtina, hepar, &c. vt experientia anatomica eſt manifeſtũ. Ergo virtus ipſum conformans ei ineſt. Quia, ſi non ineſſet, ſed eſſet extra; citius conformarentur membra externa, quam interna: & citius illa quæ viciniora eſſent loco, in quo facultas reſideret, quam quæ ab eo remotiora.

Quarto. Semen auium (quod ouo continetur) ſeparatum à parentibus conformatur: & ſemina plantarum conſtituta extra terram in tabulato ſæpe incipiunt germinare, & conformari. Ergo à principio interno.

Qua-

Quapropter ratum indubitatumque sit, conformatricem inesse ei quod conformatur, siue semini. An vero illud cum iam conformatur, adhuc vere, & realiter sit semen; an vero iam embryo: & iam animatum quid, an vero adhuc inanime; hic, vti dixi, non disputo, disputaturus infra suo loco.

Ad argumenta in contrarium, sic respondeo. Ad primum desumptum ab authoritate Galeni; dico, Galenum ibi non esse intelligendum de formatrice proprie dicta, sed solum de virtute illa vteri; qua vterus semen attrahit, retinet, fouet, actuat; quæ ideo improprie potest dici conformatrix; quod ad conformationem concurrat vt causa adiuuans, & vt causa, sine qua formatrix proprie dicta semini inexistens non posset operari, atque in actum exire. Nam præterquam quod, vt supra ostendi, vbique Galenus vim illam semini dicat inesse, aperte 6. de placitis capite 6. dicit eam vtero non inesse his verbis: *Siquidem fœtibus ex semine non ex vulua, facultatum ipsos administrantium origo est.*

Ad secundum, solet communiter responderi; aliquid posse esse agens, & patiens, conformans, & conformatum simul diuersa ratione, ac secundum diuersas partes sui: semen esse conformans secundum partem

ſuam ſpirituoſam, conformatum ſecundum partem magis craſſam, & terreſtrem, & ſic nihil ſubeſſe abſurdi. Verum ego non ſic reſpondeo: ſed dico: ſemen obtenta anima, etiam animatum, & vere iam factum embryonem poſſe ſeipſum conformare, & perducere ad maiorem perfectionem. Non enim ſemen, ſeu potius tenellus iam embryo, tum agit in ſeipſum actione aliqua corruptiua, ſed perfectiua. Talem autem actionem formam edere in ſua materia ſubiecta, nihil neque miri, neque abſurdi eſt: ſic enim anima in corpore iam adulto, ipſum perficit, auget, nutrit, & quaſi perpetuata quadam conformatione, eamdem tota vita figuram conſeruat. Et hoc modo ad confirmationes, quæ ibidem ſubiiciuntur, manifeſta quoque eſt reſponſio.

Ad tertium reſpondeo: Fœtum non eſſe partem matris, neque eodem modo ſe habere ad matrem ſicut fructus ad arborem. Etenim fructus quandiu eſt in arbore, eſt pars arboris, etſi contrarium dicat Galenus: fœtus non. Cuius ratio eſt; quia fructus ex arbore enaſcitur, & extruditur ex arbore, ab ipſa anima arboris: fœtus autem à matre non enaſcitur, ſed adnaſcitur, tanquam res diſtincta ab ea: & illam adnaſcentiam non facit anima matris, ſed anima fœtus per vaſa vmbilicalia, quæ ipſamet, ex ſubiecta materia ſeminali generat,

generat, & ad matris vterum tanquam ramos in terram mittit.

Ad argumentum à ratione & ab ouis auium desumptum, etiam respondeo: non ita se habere fœtum ad matrem, sicut ouum ad gallinam: sed ouum ita se habere ad gallinam, sicut semen & menstruum ad matrem. Etenim ouum non est gallinæ fœtus; sed est quid semini, & menstruo mulierum proportionale. Sicut enim fœtus ex semine generatur, menstruo nutritur, ita auis primum ex albumine, tanquam semine, generatur, & vitello tanquam menstruo nutritur. Insuper nego ouum quamdiu in gallina est, esse illius partẽ. Etenim albumen, & vitellus simul sumpta sunt essentialiter ouum; cortex & membrana, cui illa includuntur, non sunt essentialiter ouum; sed sunt ipsum continens oui, & capsula qua ouum continetur ne diffluat ac dispergatur. Membrana & cortex, quamdiu corpori gallinæ connexa sunt, sunt pars eius; non autem ipsum ouum, seu albumen, & vitellus, quæ illis continentur. Membrana augetur per verã nutritionem, & auctionem, albumen, & vitellus solum per accumulationem; sicut semẽ, menstruum, & alij humores. Sicut enim membranæ, quibus aliquando calculi, ganglia, steatomata, liquores, aliæque sordes includuntur, sunt partes corporis, non praui illi humores

in iis contenti; ita membranæ ouorum ſunt quoque gallinæ partes; non autem ſubſtantia iis incluſa. Nam, cum vna pars ex alia non generetur, ex vitello autem, & albumine partes auium generentur; cumque vitellus & albumen liquida ſint, & circumſcriptionem nullam habeant, neque toti continuentur, ſed ita ſolummodo in ſua membrana contineantur, ſicut vrina in veſica, chylus in ſtomacho, humores in venis; manifeſtum eſt illa auium partes minime eſſe, ſed ſolum eſſe ſuperfluum alimenti quod natura auium ſecernit ad ſpeciei propagationem, & includit peculiari folliculo, in quo vſque ad tempus generationis conſeruetur.

Porro fœtum non eſſe partem matris, neque viuere anima illius, ſic euidentiſſimis rationibus poteſt probari. Pars facit ad perfectionem totius, & ad perfectionem indiuidui, cuius eſt pars, & habet actionem ipſi toti, ſeu indiuiduo, cuius eſt pars, vtilem; fœtus non habet actionem matri vtilem, aut facientem ad perfectionem eius. Ergo. Partes cum ipſo toto incipiunt in vtero fabricari; cum ſemel fabricata ſunt, permanent, & naturaliter neque decidunt, neque pereunt: cõtra fœtus, vbi maturuit, naturaliter debet decidere, & à matre ſeparari. Ergo. Tertio: cum pars aliqua corporis dolet, corpus il-

lius

lius dolorem percipit; at mater non percipit dolorem fœtus. Ergo. Quarto: pars nulla corporis motu voluntario mouetur, quin cerebrũ eius ac phantaſia illum imperent; at fœtus mouetur motu voluntario, pedibus calcitrat, matre non imperante, immo neſcia, & inuita. Ergo. Quinto. Moriente toto moriuntur omnes partes eius; at moriente matre, non ſtatim moritur fœtus; ſed ſæpe mortua adhuc viuus execatur. Ergo. Non viuere autem fœtum anima matris, ſed propria, præterquam, quod apertis verbis dicat Galenus libro 6. de placitis capite 6. probat D. Thomas 2 contra gentes capite 89. his argumentis. Primo, quia ſi viueret anima matris, inquit, non eſſet animal per ſe, nec haberet propriam formam. quia ſi propriam formam haberet, illa viueret, & nõ aliena. Secundo. Quia, inquit, nutritur & augetur, quæ ſunt opera vitæ: opera autem vitæ ſunt à principio intrinſeco & non externo. Sed vlterius, atque efficacius poteſt ſic probari. Quia edit actiones voluntarias, motum ſcilicet matre inuita, & non iubente. Ergo à ſeipſo. Quarto: quia auditus fuit non raro fœtus in vtero matris vagire, qui vagitus non eſt vox matris, vt eſt manifeſtum, ſed ipſius fœtus. Quinto. Quia habet omnia organa propria; oculos, aures, ſtomachum; quibus certum eſt non

non posse operari animam matris, sed solum animam foetus. Sexto. Quia vidi cor tenelli embryonis ætatis forte quinquaginta dierum delapsi à matre adhuc ad tempus palpitare; quam palpitationem in auulso non potest facere anima matris, sed solum ipsius foetus. Vltimo. Quia, vt supra dictum est; si viueret anima matris, mortua matre deberet quoque mori, neque posset vnquam superesse; cuius contrarium in iis qui Cæsares appellantur, experientia non raro docuit.

Ad quartum respondeo negando sequelã maioris propositionis. Ad eius probationem respondeo; vterum plus conferre quam locum: confert enim peculiarem quandam proprietatem, qua semen amplectitur, miscet, fermentat, fouet, & actuat, qualem nullæ aliæ partes præstare possunt.

QVÆSTIO III.

Qualis virtus semini inexistens sit Conformatrix, calorne innatus, an aliqua alia?

VIdetur posse dici non esse alia, quã calor innatus seminis adiutus calore vteri, & alio per venas vmbilicales, & arterias influẽte.

Primo,

Primo, authoritate. Etenim Galenus 1. aphoris. comment. 15. sic inquit: *Neque enim aliud quidquam animal à primo efformauit, sicuti neque rursus adauxit, aut vsque ad mortem enutriuit, præterquam iste calor innatus.* Et 2. de temperamentis capite 8. & 10. dubitat an optima conformatio, bonam quatuor elementorum temperiem sequatur, an diuiniorem superne habeat originem. Idem videtur dicere Aristoteles 2. de generatione animalium capite 3. his verbis: *Inest enim in semine omnium, quod facit vt fœcunda sint semina, videlicet quod calor vocatur, idque non ignis, non talis facultas aliqua, sed spiritus qui in semine, spumosoque corpore continetur, & natura, quæ in eo semine est, proportione respondens elemento stellarum.* Idem videtur dicere Auerrhoes paraphrasi 2. de generatione animalium capite 2. & sequuntur nonnulli recentiores. Fabius Pacius in caput 3. lib. 3. method. Mercenarius in elucidationibus, fol. 378. Zonzinas 7. Metaph. capite 29. aliique.

Secundo, ratione. Calor solis est viuificus & efficiens generationis, & conformationis animalium, & insectorum: sole enim aduentante generantur; recedente moriuntur. Ergo idem de calore animalium, qui cælesti solis calori similis est, in fœtus generatione, & conformatione est æstimandum.

Tertio. Auis in ouo conformatur à calore.

Ergo & fœtus in vtero. Antecedens probatur: illud, quo deficiente oua non efformantur, & quo præſente ſtatim efformantur, eſt efficiens conformationis eorum: hoc eſt calor. nam quamdiu oua non incubantur à gallina, tamdiu non efformantur, mox vt incubantur, efformantur: gallina nihil aliud confert ouo quam calorem: vt vel ex eo eſt manifeſtum, quod ſolo calore fimetorum, oua in Ægypto, teſte Ariſtotele 6. hiſtoriæ animal. cap. 2. excubentur. Ergo.

Quarto. In generatione hominis non interueniunt niſi duæ actiones; ſeminis nimirũ conformatio, ac figuratio, & eius alteratio, immutatio, ſeu in naturam carnis, oſſis, nerui conuerſio; vtramque hanc actionem poteſt edere ſolus calor. Ergo, conformationẽ, ac figurationem; quia illa efficitur his actionibus, quæ omnes ſunt in poteſtate caloris; partium ſcilicet congregatione, ac ſeparatione, dilatatione, perforatione, conſtrictione, attractione, &c. alterationem, & immutationem; quia in nobis iam natis alimentum in os, carnem, neruos conuertit, quare & in vtero ſemen conuertere poteſt.

Quinto. Conformatio membrorum poteſt eſſe ſignum temperamenti hominis, ac partiũ eius: ex partium enim phyſiognomia non pauca de temperamentis ſigna deſumuntur: at

non

non alia ratione eſt ſignum, quam in ratione effectus temperamenti & caloris natiui: ergo temperamentum & calor natiuus ſunt efficiens eius.

CONCLVSIO quarta. Calor natiuus non eſt vera cauſa efficiens principalis conformationis.

Hanc tenet Galenus variis locis, & maxime 1. de facultatibus naturalibus, vbi præter calorem conſtituit in ſemine quandam potentiam generatricem, &c. Et 2. de temperamentis accuſat eos qui partiũ formandarũ cauſam qualitatibus tribuunt, aſſerẽs conſentaneum eſſe, qualitates quidem eſſe organa, formatorẽ vero eſſe alium. Et Ariſtoteles 2. de generatione animalium capite 1. quærit, & dubitat; quid ſit illud, quod fœtum conformat; an anima, an pars animæ, an animam habẽs. Ex quibus verbis facile colligi poteſt, eius mentem fuiſſe, conformatricem cauſam eſſe aliquid animæ; & non ſimplicem ac nudum calorem.

Probatur. Secundo, ratione. Quia conformatio eſt actio tam diuina, & admirabilis, vt ſit ridiculum eam velle adſcribere calori, & nudæ, ac ſimplici qualitati. In conformatione debent infinitæ generari particulæ, in quarum ſingulis peculiaris figura, quantitas, ſitus, numerus ad amuſſim debent obſeruari: hęc omnia nõ poteſt obſeruare ſolus calor, ſed

virtus

virtus aliqua longe diuinior, atque excellentior. Ergo. Dices forte calorem quidem per ſe non poſſe tam varias, ac nobiles actiones exercere, ſed bene in virtute animæ ac formæ ſuperioris. Verum reſponſio non valet; quia, etſi calor quidem in virtute animæ poſſit nobiliorem producere actionem, quam poſſit virtute propria, vt exempli gratia carnem, os, &c. tamen tam nobilem, ac tam diuinam, imo tot diuerſas actiones, quam fiunt in fœtus cõformatione; in nullius formæ virtute poteſt exercere. Nam cum calor ſit qualitas communis; & ſit inſtrumentum animæ commune; & anima ſit quoque cauſa communis, & indifferens ad omnes ſuas actiones; non poteſt à cauſa communi, & vniuerſali determinari ad tot peculiares actiones, niſi per aliquam aliam potentiam peculiarem, conformandi vim habentem. Proinde talem aliquam præter calorem ſtatuere omnino neceſſarium eſt.

Quod porro calor in virtute animæ ſic non operetur, patet ex auium in ouis conformatione. Etenim, ſi illæ conformarentur à calore, conformarentur à calore proficiſcente à gallina incubante: at calor qui à gallina procedit, non poteſt operari in virtute gallinæ incubantis; quia gallina eſt externa, & calor ille qui intus conformat, à gallina eſt ſeparatus; accidẽs autem, quod operatur in virtute

formæ,

formæ, operatur in virtute formæ ſibi vnitæ, & eidem ſecum ſubiecto inhærentis, non in virtute formæ, ſubiecto, & loco diſtinctæ Et quod in virtute formæ gallinæ non operetur, ex eo manifeſtum eſt; quod etiam ſine gallina ſolo calore fimeti aut aquæ tepidæ, aut mãmarum muliebrium poſſint aliquãdo excubari, atque efformari, vt ſcribit Ariſt. loco ſuprac. & Plinius libro 10. capite 53.

Tertio. Si calor eſſet efficiens conformationis hominis; eſſet etiam efficiens conformationis omnium aliorum animalium. atqui vna, & eadem ſpecie qualitas non poteſt eſſe efficiens conformationis tot animalium ſpecie diuerſorum. Ergo. Dices iterum poſſe, ſed non in virtute propria, verum in virtute ſingularum formarum, quibus inſeruit: in virtute formæ hominis poſſe conformare hominem; in virtute formæ equi, equum; in virtute formæ gallinæ, gallinam; in virtute formæ rhabarbari, rhabarbarum, &c. Verum etiam non valet. Quia non poteſt vlla qualitas ſola ac eiuſdem ſpeciei operari in virtute formarum ſpecie & genere diſtinctarum, ac in virtute earum producere animalia tam infinita, & edere tot infinitas, ac diuerſas actiones, & partes tam innumeris modis, figura, quantitate, numero, ſitu inter ſe differentes. Et quod calor in virtute formæ ſingulorum

animalium sic non operetur, ex eo manifestũ est; quod sic, quando gallina incubaret ouis pauonis, deberent ex illis ouis produci, atque efformari gallinæ, & non pauones; eo quod calor efformans non in virtute pauonis, quæ abest, sed in virtute gallinæ incubantis operaretur; cuius contrarium experientia satis est manifestum.

Quarto. Si calor esset efficiens conformationis; in quibus seminibus esset idem gradus & harmonia caloris, ea deberent eodem modo conformari: atqui est verosimile in tãto numero seminum, tum plantarũ, tũ animaliũ specie diuersorũ, existentium in mundo, plurima esse eodẽ gradu, & harmonia caloris prædita: quare illa deberent eodẽ modo formari. hoc absurdum est: quia ex eo sequeretur quod semẽ vnius plãtæ posset conformari ad figurã plãtæ alterius speciei, & semẽ vnius animalis ad figurã animalis alterius speciei: & consequenter quod ex semine endiuiæ posset produci acetosa; ex semine equi, vacca; & ex semine quadrupedis, auis; ex semine hominis, asinus; & è contra: quia possibile est illarum, tum stirpium, tum animalium, semina, in gradu, & symmetria caloris cõuenire. Ergo.

Ad arguméta in contrarium respondeo. Ad authoritates antiquorũ; dico eos solũ adscribere cõformationem calori, vt instrumento,

non

non aute vt causæ principali. Etenim, vt supra ostendi, Galenus 2 de temperamentis, apertis verbis dicit calorē nō esse formatoré, sed vim aliam lōge diuiniore: & in libris de facultatibus naturalib. dicit cōformatricem esse potētiam animæ, & esse specié facultatis generatricis. Aristotelem vero, caloré habere solum vt instrumentum vitalium actionum, manifestū est ex 2. de generatione animalium capite 4. vbi sic inquit: *Quemadmodum ea quæ ab arte efficiuntur, sed verius dixeris per motum eorum qui artis operatio est, ars autem forma eorum, quæ efficiens est in alio: sic à facultate, siue virtute animæ vegetabilis agitur, vt quæ in animalibus ipsis, & plantis postea ex alimento vis eadem efficit incrementum, vtendo caliditate & frigiditate vt instrumentis.* Auerrhoes porro præter caloré, aliam quoque agnoscit facultatem, libroque ibi citato capite 10. dicit semini inesse facultatem cum calore fixo: quibus verbis indicat præter calorem esse adhuc aliquam aliam virtutem conformatricem ab illo distinctam.

Ad secundum: Dico calorem cælestem non conformare illa animalia quæ tempore aduentus solis generantur; sed aliam quandam vim seminibus, seu materiæ seminum anabogæ inexistentem: caloré vero solis solum actuare calorem in eis sopitum ac latentem, vt vis conformatrix eis inexistés, eo per

modum inſtrumenti ad actu conformandum valeat vti.

Ad tertium reſpondeo, negando antecedens, & probationem eius. Falſum enim eſt, illud cuius præſentia fit conformatio, & cuius abſentia non fit, eſſe ipſam conformatricem. Poteſt enim eſſe ſolummodo ipſius conformatricis inſtrumentum. Nam in agentibus naturalibus, ſeu iis quæ agunt de neceſſitate naturæ, poſito inſtrumento (modo alia omnia reſpondeant) ponitur actio; & deficiente non ponitur.

Ad quartum reſpondeo: calorem neque immutationem, neque figurationem facere poſſe, niſi vt inſtrumentum virtute propria poteſt quidem congregare homogenea, ſeparare heterogenea, inflare, dilatare, &c. ex quo per accidens ſequitur aliqua rudis, ac caſualis in ſubiecta materia figura: ſed illis ſolis actionibus non poſſunt fieri tam infinitæ, & tam artificioſæ conformationes, quæque ex intento naturæ producuntur; niſi pro eis ſpecialis, & longe diuinior conformatrix facultas ſtatuatur.

QVÆSTIO

QVÆSTIO IV.

An generatiua parentum sit efficiens Conformationis.

VIdetur quod ſic. Primo. Generatiua parentum eſt vera cauſa efficiens generationis; conformatio, & immutatio ſeminis ſunt ipſa generatio: ergo illarum efficiens eſt generatiua parentum. Maior eſt certa: quia generatio eſt actus adæquatus potentiæ generatiuæ. Minor probatur: quia vnum iſtorũ trium eſt generatio; vel ipſa ſeminis in teſtibus productio; vel eius in vterum iaculatio; vel in vtero exiſtentis conformatio, & immutatio: nullæ enim aliæ actiones in generatione occurrunt, quibus eſſentia generationis poſſit adſcribi: non eſt vlla duarum priorum: ergo vltima. Non enim eſt ſeminis productio: quia ſeminis productio nihil eſt aliud, quam concoctio, ſicut productio lactis, productio ſanguinis, &c. Et eſt actus potentiæ nutritiuæ, non autem generatiuæ. Non eſt etiam ſeminis in vterum iaculatio; quia hęc non eſt niſi motus ad vbi, ſeu motus localis: generatio vero non eſt motus localis, ſed motus ad ſubſtantiam. Ergo.

Secundo. Conformatrix, & immutatrix sunt generatiuæ, & sunt species potentiæ generatiuæ, vt docet Galenus 1. de facultatibus naturalibus capite 6. Auicenna Fen 1. primi doctrina 6. cap. 2. Ergo conformatio est generatio. Si est generatio; ergo efficiens illius est generatiua parẽtum, vt est ostẽsum. Ergo.

CONCLVSIO quinta. Generatiua parentũ non est vera causa efficiẽs cõformationis, vel immutationis seminis in vtero.

Non disputo hic an generatiua parentum sit causa remota, aut causa mediata, aut causa principalis, quæ aliam sui vicariam impresserit semini illius virtute operantem, cuiusque proinde actio generatiuæ parentum tanquam principali possit adscribi: sed quæro, an sit causa proxima, causa per se, & causa actualis conformationis seminis. An mediata sit, postea disputabimus.

Dico autem non esse, & probo; primo. Causa actualis proxima, & per se conformationis seminis debet esse in semine, vel propinqua semini, vt est ostensum; generatiua parentum non est propinqua semini, nec est in ipso semine, neque in vtero. Ergo. Maior est manifesta: agens enim debet esse propinquum suo effectui: nihil enim agit in distans. Minor probatur; generatiua parentum est duplex; alia generatiua patris, alia generatiua

matris.

matris. De generatiua patris certum est, esse absenté. illa enim est in patre, qui vel abest, vel potest esse mortuus. De generatiua matris probo; quia generatiua parentum residet in testibus. Sicut enim generatiua patris residet in testibus, ita & matris. sed testes matris lõge absunt, & sunt multũ separati à semine quod conformatur: ergo & generatiua eius. Ergo illa immediate, & proxime nequit cõformare.

Secundo. Quod non est actu, non potest esse causa actu: generatiua parentum potest non esse actu, & potest non esse in rerum natura, quando fit conformatio; ergo non est causa actualis eius. Subsumptum probatur. Quia potest pater etiam antequã incipiat fieri conformatio, esse mortuus. Idem potest esse de matre; vt patet in ouis, quæ possunt excubari ab alia gallina post mortem illius quæ ouum peperit. Ergo. Dices, sicut multi dixerunt, duplicem esse generatiuam; aliam in parentibus; aliam quæ semini à parentibus eo tempore, quo in testibus generatur, sit communicata. Sed non valet: quia an generatiua parentum possit vim aliquam imprimere semini sui vicariam, à se essentia diuersam, hic non disputo; disputaturus latius inferius: saltem non potest imprimere & cõmunicare seipsam. Quod probo. Primo: quia potẽtiæ animæ sunt incommunicabiles,

& ſunt inſeparabiles ab anima cuius ſunt potentiæ. Neque enim poſſunt communicari ſolæ; quia ſic migrarent de ſubiecto in ſubiectum: neque cum particula ſubſtantiæ animæ; quia anima ſaltem humana, eſt indiuiſibilis; & ſi talis particula animæ ſemini communicaretur; ſequeretur animam eſſe ex traduce, atque eſſe generabilem & corruptibilem, & non infundi à Deo, & eſſe mortalem: quæ omnia ſunt abſurda, atque à vera religione aliena. Probo ſecundo. Si in ſemine eſſet potentia generatiua; ipſum eſſet vere generans; & generaret in virtute propria, ac virtute potentiæ, quam in ſe realiter haberet, & non in virtute parentum: & ageret vt cauſa principalis, & non vt inſtrumentalis, & eſſet ipſum verum generans principale, & parentes non eſſent verum generans, neque generans principale; ſed ſolummodo cauſæ efficientes generantis principalis: & ſemen ageret vt ens vniuocum. hæc omnia vti ſunt abſurda, ita quoque contrariantur Ariſtoteli, qui 2. de generatione animalium capite 1. dicit ipſum verum generans eſſe hominem, ſemen ſolum eſſe inſtrumentum, & hominem eſſe agens vniuocum, non ſemen, his verbis: *Generat ergo quod eſt vniuocum, nempe homo hominem.* Ergo.

Ad argumenta in contrarium reſpondeo.

Ad

Ad primum; concedo maiorem, & fateor generatiuam parentum esse efficientem causam generationis; illius scilicet quæ ab ipsa potentia est attingibilis: sed nego minorem. Pro quo sciendum est dupliciter considerari generationem. Alia enim est generatio proprie dicta, quæ est mutatio ad formam, seu generatio substantialis, & solummodo motio instantanea, estque ipsa animæ introductio: alia est generatio improprie dicta, seu generatio accidentalis, & successiua; & illa non est vera generatio; sed solum est alteratio, & productio dispositionum ad animæ introductionem necessariarum, & solummodo generatio accidentalis. Generatiua parentum non est vera causa efficiens generationis substantialis, intellige in hominibus: quia ipsa non attingit introductionem animæ, nec facit eam; anima enim humana non est generabilis, neque educibilis ex potentia materiæ: sed creatur, & infunditur à Deo: sed est solum efficiens generationis improprie dictæ, id est dispositionum, & alterationum præuiarũ ad animæ introductionem necessariarum. Quod pro maiore solutionis argumenti claritate est præmittendum. Ratio autem cur negem minorem, est; quia non est verum, conformationem atque mutationem seminis esse generationem. Etenim nõ sunt generatio proprie

 dicta;

dicta; quia non ſunt ipſa animæ introductio: non ſunt etiam generatio improprie dicta, quia non ſunt alterationum, ac diſpoſitionũ ad animæ introductionem præuiarum productio: ſed, vt infra oſtendemus, ſunt actiones, animæ introductione poſteriores, & ſunt actiones fientes ab anima iam introducta, & ab anima ipſius embryonis, & non ab anima parentum. Ergo nulla. Tum enim primum fit in ſemine, vel potius in embryone cõformatio, & immutatio ad formam oſſis, carnis, nerui, &c. cum iam anima eſt introducta, & non ante; & ſic illa conformatio, & immutatio nõ ſunt actiones, alterationes vel diſpoſitiones præuiæ ad animæ introductioné; ſed effectus, & actiones animę introductæ. Si eſſent actiones & diſpoſitiones præuiæ, tunc ipſæ eſſent generatio; id eſt, eſſent ſaltem generatio ſucceſſiua, ſeu generatio improprie dicta; & generatio accidentalis; & tum generatiua parétum eſſet vera cauſa efficiens earum; ſed cum ſint poſteriores anima introducta, patet ipſas non eſſe generationem, & conſequenter, nec generatiuam parentũ efficientem earũ. Dices, vnicuique potentiæ ſua reſpõdet actio; & vnaquęque potentia habet ſuam propriã, & adæquatã actionem; ergo & potentia generatiua. Illa debet eſſe generatio, nec poteſt eſſe alia. Ergo. Atqui ſi nulla illarũ trium in argumento

enu-

enumeratarum eſt generatio, quæ eſt ergo illa, & quæ eſt adæquata actio eius? Reſpondeo, adęquatam actionem potentiæ generatiuæ eſſe ſeminis productionem, ſeu ſpermatificationem. Etenim potentia generatiua non eſt alia quam ſpermatifica, vt infra oſtendemus. Si non eſt alia, ergo eius actio non eſt quoque alia, quam ſpermatificatio. Quæres, quomodo ſpermatificatio poſſit dici generatio, cum non ſit aliud quam nutritio; generatio autem ſit actio à nutritione diſtincta. Reſpondeo per hoc eſſe generationem, quod ſit productio materiæ, ex qua generationis, & ſimul ſit introductio diſpoſitionum omnium in eam, neceſſariarum ad generationem proprie dictam, ſeu animæ introductionem: quod infra latius ſumus explicaturi.

Ad ſecundum reſpondeo negando antecedens. Etenim conformatrix, & immutatrix non ſunt ſpecies potentiæ generatiuæ. Potentia enim generatiua, eſt potentia parentum: & potentia generantis, hæ ſunt potentiæ, & virtutes geniti atque embryonis; adeoque diuerſæ: ac proinde earum actiones quoque ſunt diuerſæ: in quo tum Galenum, tum alios omnes Medicos errare oſtendemus. Neceſſum enim eſt, vt horum argumentorum occaſione, latius de potentia generatiua agamus; & quæ, & qualis ipſa ſit, & quæ propria,

&

& adæquata eius actio, videamus. Nisi enim hoc faciamus, argumenta prætacta solui minime possent. Quia vero disceptatio illa longior est; ne interim filum, & ordinem disputationis nostræ principalis interrumpamus, eam in finem huius libri differemus: pro nunc supponentes, responsionem iam datam solidam ac legitimam esse.

QVÆSTIO V.

An anima seminis sit efficiens Conformationis.

HIc non est quæstio, an anima post conceptionem in semen introducta sit efficiens eius; sed an semini ante conceptionem præinexistens; & in testibus parentum genita. Partem affirmantem tenēt varij Medici. Vallesius 2. controuersiarum capite 9. Argenterius super arte parua, fol. 234. editionis Venetæ, titulo de temperamentis testium. Christophorus à Vega libro de arte medendi capite 5. Peramatus libro de animæ facultatibus capite 5, Ioubertus comment. in caput 5. libri 1. Galeni de facultatibus naturalibus, Mercatus 1. Physiologiæ, parte 4. classe 1. quæstione 98. & nonnulli alij. & consentanee doctrinæ suæ

tenere

tenere coguntur, quicumque ſemen ſtatuunt animatum. & probatur.

Primo: quod conformat eſt intrinſecum ſemini, vt iam eſt probatum; quod conformat eſt aliqua anima; ergo eſt anima ſemini intrinſeca, ſeu anima ſeminis.

Secundo. Idem videtur eſſe principium cõformans & immutans, ſeu quod ſemen carnificat, oſſificat, membranificat, &c. Sed principium, quod ſemen carnificat, & oſſificat nõ poteſt eſſe aliud, quam anima ſeminis. illæ enim ſunt actiones vitales, & actiones animæ. Ergo & quod conformat.

Tertio. Cum ſemen conformatur, ſimul & eodem tempore nutritur & augetur. Augetur, quia creſcit in omnem dimenſionem. die enim duodecimo eſt inſtar grani hordei, vt ſcribit Pineus; die vigeſimo quarto inſtar apis, &c. Nutritur; quia augetur. augeri enim non poſſet, niſi nutriretur. Atqui à quo principio augetur, & nutritur, ab eodem veroſimiliter & conformatur; cũ actiones illæ fiant ſimul, & eodem tempore. Nutritur & augetur ab anima, quia illæ ſunt actiones animæ. Ergo & ab ea conformatur.

Quarto. In plantis aliquando radix formac nouam plantam; aliquando ramus abſciſſus, & plantatus; aliquando etiam vnum folium ſolum, vt patet in ficu Indica, ordinarie, & ple-

rumque

rumque ipſum ſemen. At quo principio illæ omnes partes plantatæ producunt nouam plantam, eodem veroſimile eſt producere & ipſum ſemen. illæ omnes producunt per ſuam animam; ergo & ſemen. Sequela probatur. Quia ſi per aliud principium produceret ſemen nouam plantam, quam iſtæ aliæ partes, ſequeretur in vna planta eſſe duas conformatrices; vnam ſeminis, aliam aliarum partium: hoc eſt abſurdum. Ergo. Etenim vel illæ conformatrices eſſent ſolo numero vel ſpecie diſtinctæ: non ſolo numero; quia accidentia ſolo numero diſtincta non poſſunt eſſe in eodem ſubiecto, ac eadem planta: & fruſtra ponerentur duæ, cum vna poſſet ſufficere: & quando ſic eſſent duæ, adhuc haberetur intentum. quia ſic vtraque eſſet potentia animæ: & ſic ſaltem adhuc anima ſeminis conformaret, quod eſt quæſitum. Non etiam ſpecie: quia in vna, & eadem arbore eſſe duas ſpecie diſtinctas conformatrices non minus videtur abſurdum. Quia, ſi ita eſſet, non poſſent eãdem ſpecie arborem ſeu plantam producere; hoc eſt falſum. Etenim eadem ſpecie arbor producitur à ramo plantato, ac à ſemine terræ commiſſo. Ergo.

Quinto; Semen eſt animatum: ergo eſt ipſa eius anima, quæ in ſuo ſubiecto facit conformationẽ. Sequela probatur. Quia quid eſt opus

opus quærere aliam causam formatricem, si est in semine anima, cui talis actio possit adscribi. Etenim cum conformatio sit actio vitalis, proindeque debeat procedere à principio vitæ, atque ab aliqua potentia animæ; vtique debet procedere à potentia animæ semini inexistentis. Nam à quo alio principio procederet? An posset statui principium aliquod nobilius, & excellentius in semine, ipsa anima, aut principium aliquod, quod animæ in exercenda tam nobili, ac pene diuina functione præualeat; cum ipsa sit omnium formarum naturalium longe nobilissima? Porro semen esse animatum probatur variis argumentis. Primo authoritate. Etenim Hippocrates libro de diæta, loquens de seminum in generatione commixtione, sic inquit: *Si quis non credit animam animæ misceri, vehemens est*. Quibus verbis insinuat semina esse animata. Galenus libro de marasmo non solum fatetur semen esse animatum, sed & viuere. Tria enim dicit esse viuentium genera, animalia, plantas, semina. Secundo de facult. natural. dicit in semine esse facultatem attractoriam alimenti; & 1. de semine capite 7. dicit semen nutriri, & virile nutriri fœmineo. Si in eo est virtus attractrix, & viuit: ergo est animatum. Aristoteles variis locis videtur significare semen esse animatum. Primo de generatione capite

capite 18. diſputans an ſemen à toto decidatur, & probans quod non, ſic inquit: *Item ſi partes diſtractæ in ſemine ſint, quonam pacto viuat? Sed ſi coniunctæ, paruum quoddã animal erit.* 2. de generatione animalium capite 1. diſputans an ſemen habeat animam, ſic inquit: *Sed habeatne ſemen animam necne, ratio eadem atque de partibus reddenda eſt. nec enim anima vlla eſſe poteſt in alio, niſi in eo cuius eſt: neque pars vlla eſſe poteſt, quod animæ particeps nõ eſt, niſi æquiuoce, vt mortui oculus. Semen igitur & habere animam, & eſſe potentia palam eſt: vt Geometra dormiens remotius quam vigilans; iſque remotius quã qui iam contemplatur.* Quibus verbis videtur clare dicere, ſemina eodem modo eſſe animata, ſicut partes ipſas. Neque dici poteſt eũ ibi ſolum velle ſemen eſſe animatum potentia, non actu, eo quod addat illa verba, *& eſſe potentia palam eſt*; quia videntur illa verba non eſſe intelligenda de potentia ad actum primũ, ſeu ad animam, ſed ſolum ad actum ſecũdum, ſeu ad operationes. vti videtur eſſe manifeſtũ ex ſimilitudine Geometræ, quã adfert. Dicit enim ſemen eodem modo eſſe potentia, ſicut Geometra dormiens: atqui Geometra dormiens non eſt in potentia ad actum primum, nempe ad Geometriam; quia illam iam actu habet; ſed ſolum eſt in potentia ad actum ſecundum, id eſt ad geometricas actiones; quare neque

neque ſemen. Vlterius 2. de generatione animal. capite 3. quærit an embryo habeat materiam ſuam ex ſemine, & an etiam à ſemine recipiat animam, & videtur concludere quod ſic, quodque à ſemine recipiat vegetatiuam, ac proinde ſemen ſit animatum. Verba ſunt hæc: *Sequitur vt & dubitemus, & dicamus ſi in iis quæ ſemen emittunt in fœminam, nulla pars constituendi conceptus ſit quod ſubierit: quonam vertetur corpulentia eius, quando ipſum facultate, quam in ſe continet, agit. definiendum igitur prius eſt, vtrum quod in fœmina constituitur accipiat aliquid ab eo, quod ſubierit, an nihil accipiat, atque etiam de anima, qua animal dicitur (eſt autem animal parte ſenſuali) vtrum in ſemine & conceptu ineſt, an non, & vnde. Conceptum enim inanimatum eſſe nemo ſtatuerit, vita omnibus modis priuatum: quippe cum nihilominus ſemina viuant, quam ſtirpes, & aliquandiu prolifica ſint. Ergo animam in iis haberi vegetalem palam eſt.* Et eodem capite infra ſic inquit: *Sed enim omnis animæ ſiue virtus ſiue potentia corpus aliquod participare videtur; idque magis diuinum, quam ea quæ elementa vocantur. Verum prout nobilitate, ignobilitateque animæ inter ſe differunt, ita & natura eius corporis differt. Ineſt enim in ſemine, quod facit vt fœcunda ſint ſemina, quod calor vocatur; idque non ignis, non talis facultas aliqua, ſed ſpiritus qui in ſemine ſpumoſoque corpore continetur; & natura, quæ*

in eo ſpiritus eſt, proportione reſpondens elemento ſtellarum. Et ſubiungit: *At vero ſolis calor & animalium non modo qui in ſemine continetur; verum etiam ſi quid excrementi ſit, quanquam diuerſum, à natura tamen id quoque principium habet vitale.* Quibus verbis manifeſte videtur indicare, in ſpiritu ſeminis cæleſti calore prædito animam, ac principium vitale ineſſe. Et infra loquens de menſtruo, dicit menſtruum etiam eſſe ſemen, ſed impurum, & in eo à ſemine differre, quod ſcilicet, *vnum illud non habet originem & principium.* Quaſi diceret in eo differre, quod ſemen habeat animam & principium vitæ; menſtruum non. Hanc ſententiam infiniti tum Medici tum Philoſophi tenuerunt, Citadinus libro 2. capite 69. ſuper artem paruam, Iacobus de Forliuio 2. Tech. quæſt. 38. Cardanus 2. contradicentium tractat. 6. contradict. 17. Argenterius ſuper arte parua fol. 234. titulo de temperamentis teſtium. Thomas à Veiga commēt. ſuper cap. 47. artis paruæ. Chriſtophorus à Vega libro Methodi capite 5. Valleſius 2. controuerſiarum capite 9. Peramatus libro de animæ facultatibus corpus noſtrum diſpenſātibus capite 4. & libro de ſemine, & libro de hominis procreatione capite 5. Mercatus libro 1. parte 4. claſſe 1. quæſt. 98. Capiuaccius libro de fœtus formatione, Ioubertus annotatio-

tatio-

tationibus in caput 5 libri 1. Galeni de facultat. natural. Archangelus Piccolomineus libro 1. prælectionum anatomicarum, prælectione 3. Et inter Philosophos Plato in Timæo; Themistius 2. animę textu 6. Zimara 2. animæ ad textum 43. Zabarella 2. de anima cap. 11. Philoponus, Caietanus, alijque. Et probatur secundo, ratione. Semen est corpus heterogeneum, constans diuersis partibus, crassa ac terrestri; & spirituosa, seu tenui: & corpus præditum calore natiuo: talium corporum forma est anima: & nullum tale potest inueniri quod non sit præditum anima: ergo semen est animatum. Tertio. Semina plantarum sunt animata: ergo & animalium. Sequela probatur. Quia non videtur esse ratio, quare vnum magis debeat dici esse animatum, quam alterum: nec videtur esse ratio, quare natura magis voluisset, aut debuisset dare animam semini plantarum, quam semini animalium. Etenim ratio quare natura debuisset hoc facere, non posset esse alia, quam vt in semine esset principium effectiuum similis in specie; seu vt in semine, quando caderet in terram, separatum à producente ipsum; esset virtus qua ipsum per se posset conformari & in similem plantam conuerti: eadem ratio militat in animalibus. Ergo, Antecedens probatur Variis argumentis. Primo. Quidquid

plantæ, vel arbori continuum eſt, & pars eius, eademque cum ipſa forma præditum, eſt animatum: tale eſt ſemen & fructus arboris: ergo ſunt animata. Coincidunt autem ſæpe ſemina & fructus, ita vt vnum ſit alterum, vt in caſtaneis, glandibus, leguminibus, &c. eſt manifeſtum, quæ ſimul ſunt, & fructus, & ſemina. At fructus ſunt arborum & plantarum partes. Quis enim negabit cucumeres, poma, alioſque fructus plantarum arborumque partes eſſe? Ergo eo caſu & ſemina partes arborum, atque plantarum erunt, & conſequenter animata. Viuunt communi arboris anima radix, truncus, rami, flores, folia; quare non eadem ratione & fructus, & ſemina? Semina omnia inter ſe figura & conformatione differunt; ad aliquod tempus ſunt fœcunda, poſt illud ſuam fœcunditatem perdunt: quod non videtur alia ratione fieri, quam quod antea animam habuerint, poſtmodum vero eam perdiderint, & ſint emortua. Quarto: oua auium ſunt animata: ergo & ſemen aliorum animalium. Etenim oua ſunt ſemen auium. Nullum enim aliud ſemen habent aues quam quod ouis cõtinetur: vt ex eo patet, quod ſicut alia animalia ex ſemine, & menſtruo, ita aues ex albumine, & vitello generentur. Oua eſſe animata probatur; tum authoritate, tum ratione. Authoritate; quia Ariſtoteles 3. de hiſtoria

historia animalium capite 7. asserit in ouis subuentaneis, esse animam vegetatiuam; quanto magis in fœcundis: cum hæc dicat animam sensitiuam recipere posse, illa minime. Verba eius sunt hæc; *Subuentanea oua recipiunt generationem, quoad fieri potest: perfici enim, vt ad animalis fœcunditatem, impossibile est: sensibus enim opus est. At vegetalem animæ virtutem obtinent, & fœminæ, & omnia quæ viuunt, vt sæpe dictum est. Quamobrem hoc ouum,* (loquitur de subuentaneo) *vt plantæ conceptus perfectus est, vt animalis imperfectus.* Idem dicit 2. de generatione animalium capite 4. vbi ex professo hanc quæstionem tractat his verbis. *Quæri potest quonam modo oua subuentanea dicantur viuere; neque enim* (inquit) *ita vt oua fœcunda possunt; sic enim actu animatum ex ijs efficeretur. neque ita se habent ista vt lignum, aut lapis; quippe quæ corruptione aliqua peccant, vt quæ vitam antea quodammodo participarint. Constat igitur hæc* (loquitur de subuentaneis) *aliquam habere potentia animam. Sed quam? Illam vltimam habeant animam necesse est, quæ vegetabilis est. hæc enim omnibus tam animalibus quam plantis inest.* Probatur etiam ratione. Oua adnascuntur gallinæ, & sunt partes eius; ergo communi cum illa vita fruuntur, sunt organizata; quia habēt certam figuram externam, & internam; habent corticem, membranam; vitellus est rotūdus,
 in

in medio albuminis situs, membranula ab ipso separatus, &c. Denique in gallina fuerunt nutrita, & aucta in omnem dimensionem, vero & vitali incremento. Ergo. Si autem fuerũt animata in gallina, ergo etiam separata ab illa, quamdiu manent fœcunda. Etenim, si antea animam habuissent, & eam perdidissent, iam mortua essent: quare non possent iterum animari, & de nouo animam recipere. à priuatione enim ad habitum non datur regressus; neque quidquam potest duabus formis solo numero distinctis successiue informari.

CONCLVSIO sexta. Anima seminis non est efficiens Conformationis.

Hæc conclusio probatur vnico argumento demonstratiuo. In semine non est anima; ergo non est efficiens conformationis. Etenim non ens nullius est causa. Non esse animam in semine, tenuerunt tum Medici tum Philosophi non pauci. Auerrhoes 12. Metaphys. textu 18. & paraphrasi super 2. de generatione animalium capite 2. Gentilis super Fen 1. primi, doctrina 6. capite 2. Conciliator differentia 48. Thomas de Garbo libro 1. tractatu 5. quæstione 5, Fernelius libro 7. Physiologiæ capite 5. Carrerius disputatione 36. super Auicennã. Laurentius libro 8. quæstione 12. Segarra libro 1. de facultatibus naturalibus capite 5. & communiter omnes Medici. D. Thomas

part.

part. 1. quæſt. 119. art. vlt. & quæſt. 3. de potentia art. 9 & 2. contra Gentes capite 89. in ſolutione 11. Scotus in quartũ ſent. diſtinctione 44. quæſtione 1. Albertus ſumma de homine part. 2. Conimbricenſes 1. de generatione capite 4 quæſtione 25. articulo 2. Ruuio 2. de anima quæſtione 3. alijque. Probari porro poteſt ratione, & variis argumentis; ſed quę non ſunt omnia ęquę efficacia. Solet probari communiter ſic.

Primo; ſemen non eſt organicum; ergo nec animatum. Verum dicit Carrerius argumentum non probare: ſatis enim dicit eſse organicum per hoc, quod ſit heterogeneũ, conſtãs diuerſis partibus; ſpirituoſa, & craſsa; & ſit præditum calore natiuo. Sed reſponſio non eſt ſufficiens: melius poſset reſponderi negatione ſequelæ; quia hæc conſequentia non valet; non eſt organicum; ergo non eſt animatum. Poteſt enim anima, & quoad actum primum, & etiam quoad aliquem ſecundum eſſe in corpore non organico; vt infra latius oſtendemus.

Poſſet probari ſecundo ſic. Si ſemen plantæ haberet animã vegetatiuam, eſſet iam eſſentialiter planta: at ſi eſſet eſſentialiter plãta; eius in terra conformatio, & immutatio nõ eſſent generatio ſubſtantialis. quia in terra non acquireretur noua forma, nempe anima:

quia iam ante eam in arbore habuiſſet; & generatio eſſet facta in arbore, & non in terra: & in arbore iam eſſet facta noua arbor, & nõ fieret in terra: hoc eſt abſurdum, & contra captum, & intelligentiam omnium hominum, qui omnes credunt ac dicunt arborẽ, & plantam produci, ac creſcere in terra, & non in arbore, aut planta. Verum argumentum quoque non valde probat & facile etiam ei poſſet reſponderi, dicendo: ſeminis in terra conformationem, non eſſe ipſam eſſentialem generationem; ſed ſolum nouæ plantæ iam conſtitutæ, & in arbore genitæ perfectionem; eiuſque in actu imperfecto adhuc ſolum conſtitutæ, ad actum perfectum perductionem; neque eſſe curandum quid vulgus appellet generationem, aut non appellet, quidue eius intelligentiæ, ſed quid rectæ rationi, & veritati ſit conſentaneum. Vulgus enim Philoſophiæ eſt ignarum, neſcitque vbi, & quando fiat vere productio formæ plantæ, & eſſentialis generatio: & neſcit diſtinguere inter actum primum, & ſecundum, inter imperfectum, & perfectum: & ideo vnum pro alio ſumit; & tum primum putat plantam generari, quando iam perficitur, & operatur, & quando iam radices, & folia producit; quorum productio non eſt ipſa plantæ generatio, ſed iam genitæ operatio, & perfectio.

Poteſt

Poteſt probari tertio. Si ſemen eſſet animatum, eſſet viuens; ſed non eſt viuens. Ergo. Non eſſe viuens probatur: quia nullã exercet operationem vitæ. Nam ſi viueret, ſaltem exerceret actum nutritionis: omne enim viuens, quamdiu viuit nutritur, & tamdiu durat vita quam nutritio, vt inquit Ariſtoteles libro de reſpirat. capite vltimo. At ſemina plantarum poſita in ſcrinio vel tabulato, non nutriuntur. Ergo. Verum facilis quoque ad hoc poteſt eſſe reſponſio. Etenim vita ſumitur dupliciter; vel pro actu primo, vel ſecundo: vel enim per vitam intelligitur ipſum eſſe viuentium; vel ipſum operari. Si per vitam intelligantur operationes vitæ, ſic non eſt verum, omne animatum eſſe viuens: poteſt enim anima eſſe, etiamſi non operetur: eſſe enim eſt prius operari: prius autem non dependet à poſteriori. At ſi per vitam intelligatur actus primus, ſeu ipſum eſſe viuentis; ſic verum eſt omne animatum eſſe viuens: ſed tum non eſt verũ, omne viuens debere exercere actiones vitæ; quia, vt dixi, poteſt eſſe viuens, etiamſi nullas exerceat operationes; & tali ratione dici poteſt ſemen eſſe viuens. Sufficit enim poſſe eas exercere ſuo tempore & loco, etiamſi actu non exerceat; ſeu tum poſſe exercere, quando erit in terra conſtitutum, & à cæleſti calore actuatum, & nactum

alimentum, quod attrahere, & quo nutriri poſſit. Ad hoc, quod ex Ariſtotele adfertur, omne viuens quãdiu viuit nutriri; reſponderi poteſt: Ariſtotelis verba eſſe intelligenda, de viuente cõpleto, & de viuẽtibus iam natis iam conformatis, & perfectis; non de imperfectis & necdũ conformatis, quale eſt ſemen. Si dicatur, tũ animã fore otioſam, quando eſſet in ſuo ſubiecto, & non operaretur: Reſpõderi poteſt; non fore otioſam. Etenim ſi non operaretur, quãdo eſſet ſufficiẽter diſpoſita ad operandum; & quando adeſſent omnia ad operãdum requiſita; tum eſſet otioſa; ſed quãdo illa non adſunt, etiamſi tum non operetur, nõ poteſt propterea dici eſſe otioſa; & ſic quãdiu ſemen non eſt plantatum in terra, ſed iacet in tabulato, & quamdiu non eſt actuatum calore ſolis, ſicut ſemina quæ tota hyeme iacent in terra; tamdiu non poteſt dici anima eis inexiſtens eſſe otioſa: ſed ſi eſset plantatum, & haberet præſens alimentum quod attrahere poſset, & eſset ver, vel æſtas, vel tale tempus quo poſset à calore ſolis actuari, & tunc non operaretur, nec conformaret ſeipſum, poſset anima eius tùm dici eſse in eo otioſa.

Solet probari quarto ſic: inſtrumentum non habet eandem formam quam habet agens principale: quia ſi haberet, iam non eſſet inſtrumentum eius; ſed eſſet agẽs æque princi-

principale ac illud: at ſemen eſt inſtrumentum generationis: animal ſeu planta ſunt agens principale: animal & planta habent animam; ergo ſemen non habet eam. Verum reſponderi ei etiam facile poſſet: dicendo ſemen non eſſe inſtrumentum ad producendum illud quod debet generari; ſed eſſe ipſummet genitum, & eſſe illud, quod per generationem iam eſt productum. Qui tenent ſemen non eſſe animatum, fateri poſſunt ipſum eſſe inſtrumentum ad producendum animatum: ſed qui tenent eſſe animatum, nulla id ratione admittere poſſunt. Proinde dicere poſſent, ſemen cum operatur, id eſt cum iam ſeipſum per ſuam animam conformat, nutrit & auget; non operari vt inſtrumentum generantis, ſed vt agens principale, quod vi propria, & virtute animæ ſibi inexiſtentis ſe perducit ad ſtatum eſſentiæ ſuæ perfectiorem: inſtrumentũ porro generantis ad generationem eſſe aliud; nimirũ potentiã generatiuã generantis ſiue animalis ſiue plãtæ; vna cum calore, ſpiritu, & partibus ad generationem requiſitis. Si organizatio eſſet diſpoſitio præuia ad animationẽ, verum eſſet, ſemen eſſe inſtrumentum generationis: ſed poſito quod ſit actio poſterior generatione, ſicut verum eſſe infra oſtẽdemus; ſequitur ſemen nõ eſſe inſtrumentũ, ſed agẽs principale,

exercens

exercens operationes statui suo conuenietes.

Solet probari quinto. Ex semine fit animatum; ergo ipsum non est animatum. Responderi potest negatione antecedentis. Nõ enim fit ex semine animatum simpliciter, sed semen quod est animatum imperfectum, fit animatum perfectum; seipsum vi animæ suæ conformando, nutriendo, augendo.

Sexto sic probat Carrerius. Nihil potest excogitari propter quid sit opus semen habere animam actu. Ergo non habet. Etenim nihil reperitur in generatione viuentis, quod nõ possit fieri à semine tanquam instrumento; cum totum, quod in ipso potest excogitari habere rationem principij efficientis, solummodo habeat rationem efficientis instrumentalis. Verum argumentnm non bene probat. Posset enim responderi; rationem propter quam semen debuerit habere animam actu; esse, quod alias & aliter non posset assignari vera causa efficiens conformationis. Nam, dicendo semen esse animatum, causa efficiens conformationis est in promptu; nempe anima seminis, quæ suum sibi domicilium architectatur. At dicendo non esse animatum, refugiendum est ad generantem vt ad causam principalem, & statuendum semen, vt causa instrumentalis operans in virtute illius principalis; nempe generantis: quod falsum est;

vti

vti ex parte diximus, & infra latius ostendemus: propterea scilicet quod sic semẽ vt causa instrumentalis deberet operari in virtute absentis, immo non existentis in rerum natura: quod videtur impossibile. Posset etiam responderi adhuc aliam esse rationem cur debuerit esse animatum: nimirum, quia si non esset animatum, sequeretur conformationem quæ fit in vtero vere non esse actionem vitalẽ, sed mere Physicam. Quod cum sit longe absurdissimum, quomodo admittere potuerit Carrerius, non video. Quapropter cum hæc argumenta non sufficienter probent conclusionem, & nonnulla saltem, non habeant efficaciam in mea opinione; reliquum est, vt efficaciora & meæ opinioni magis consentanea in medium adferam.

Probo ergo septimo. Nec sanguis nec spiritus sunt animati. Ergo nec semen. Antecedens suppono ex communi doctrina Medicorum omnium, & maxime Galeni 7. de placitis, & 2. de elementis, & variis aliis locis: quibus expresse dicit spiritus & sanguinẽ non esse animata. Sequela probatur: quia, qua ratione semen esset magis animatum, quam illa? Illa producuntur in partibus longe nobilioribus quam sint testes; nimirum cerebro, corde, hepate; quæ si non potuerunt animam sãguini ac spiritibus impertiri, quomodo poterunt

terunt teſtes? Producitur lac in tertia concoctione, in partibus glandulosis, in partibus externis, & non eſt animatum: tales partes ſunt etiam teſtes: quare ſemen quod in iis generatur, non poteſt quoque magis illo eſſe animatum. Ideo ſpiritibus & ſanguini anima à Medicis denegatur, quia ſunt corpora fluida, toti non cohærentia, minime organica, nullam determinatam ſubſtãtiæ ſuæ magnitudinem vel circumſcriptionem habentia. Tale corpus etiam eſt ſemen; quare eadem quoque ratione & illi anima eſt deneganda.

Octauo. Si in ſemine eſſet anima; (loquor modo de ſemine hominis) qualis eſſet? Vel enim eſſet vegetatiua, vel ſenſitiua, vel rationalis: nulla illarum eſſe poteſt. Ergo. Non poſſe eſſe rationalem, probo. Primo: quia, ſi eſſet rationalis, iam ſemen hominis in teſtibus, aut paraſtatis exiſtens eſſet homo: quod enim animam rationalem habet eſt homo. Secundo, ſeminis in terram emiſſio, ſeu mollicies eſſet homicidium. Tertio, ſemen in terram emiſſum eſſet baptizãdum, ne anima eius in æternum periret: quæ omnia ſunt abſurda, & à religione Chriſtiana aliena. Quarto, ſi ſemen eſſet animatum anima rationali, non minus eſſet animatum ſemen fœminæ, quam viri; ſi ſemen fœminæ, ergo ipſa per ſe ſolam

gene-

generare, & ſine concubitu viri fœtum in lucem producere poſſet, & ſic fruſtra ſexuum diuerſitas requireretur. Quinto, ſi in ſemine eſſet anima rationalis; vel eſſet anima parentum in ſemen extenſa, & per ſeminis diuiſionem diuiſa, & multiplicata; vel eſſet anima aliqua de nouo genita ac in ſemine producta: vel à Deo infuſa. Non anima parentum, per ſeminis deciſionem multiplicata: quia ſic ſequeretur animam rationalem eſſe diuiſibilem & per conſequens mortalem & omnium hominum eandem eſſe animam; & animam noſtram eſſe particulam animæ patris, & animam patris particulam animæ aui, & ſic deinceps: & tandem omnes noſtras animas eſſe particulas animæ primi hominis ſiue Adami, & tandem animas eſſe ex traduce. Quæ omnia ſunt falſa, & abſurda, & à religione Catholica aliena. Non eſt etiam anima de nouo genita aut producta ab anima patris; quia ſic ſequeretur quod eſſet educibilis è potentia materiæ, & producibilis per virtutem naturalem, & conſequenter exſtinguibilis, & mortalis. Non etiam à Deo infuſa. Quia, quid eſſet opus Deum infundere ſeu increare animam in teſtibus? Ibi enim fruſtra crearetur; quia nunquam poſſet ibi ſe perducere ad ſtatum ſuum perfectum: & omnes illæ animæ quæ eſſent increatæ teſtibus eorum

qui

qui virginitatem nunquam perdiderunt, eſſet frustra creatæ, & miſere omnes perirent. Accedit, quod ſi Deus ſemini in teſtibus adhuc contento animam increaret, deberet ſingulorum teſtium ſemini ſuam increare; & ſic vniuſcuiuſque hominis ſemini increare duas animas; & ſicut increaret duas animas duobus teſtibus patris; ita deberet etiã increare duas animas duobus teſtibus matris: & ſic cum in coitu à quatuor teſtibus ſemen decideretur, vt plerumque fit, vnirentur quatuor animæ; & qui ex illo ſemine fœtus produceretur, vel haberet quatuor animas, vel vnam ex quatuor ſimul conglutinatis coagmentatam. Cui etiam hoc addi poteſt, quod ſi in ſemine eſſet anima rationalis, quando ex illo fierent gemelli, vel tergemini, anima illa deberet findi, & in tres diuidi: ex quo ipſam diuiſibilem eſſe manifeſte ſequeretur. Non poteſt etiam dici in ſemine hominis, ſeu aliorum animaliũ eſſe animam vegetatiuam. Primo, quia etiam contra hoc militat argumentum iam de pluribus animabus ſeminibus inexiſtentibus adductum. Secundo, quia ſic ſemen animalium eſſet planta: & homo antequam perueniſſet ad animam rationalem debuiſſet pertranſiiſſe per formam plantæ, & inde per formam bruti; & ſemel fuiſſe aſinus vel canis; quod infra latius oſtendemus à ratione eſſe alienum.

Tertio,

Tertio, quia illa anima vegetatiua deberet esse producta ab anima rationali testibus inexistente. In testibus enim non est alia, quam rationalis. At hoc esse non potest, quia anima rationalis non potest habere vim, & proprietatem generandi ac producendi animam vegetatiuam. vnumquodque enim sibi simile producit: animæ autem illæ specie inter se distinctæ sunt, quarum vna alteram producere non potest. Ergo. Sicut enim impossibile est formam equi producere formam vaccæ, vel piscis; vel formam ignis, formam aquæ: ita impossibile est animam rationalem producere animam vegetatiuam. Cōfirmatur. Testes coquunt semen per assimilationem, studendo illud conuertere in suam substantiam, vt scribit Galenus 1. de semine capite 16. ergo imprimunt ei dispositiones ad animam rationalem, & habent instinctum, & proprietatem naturalem inducendi illas: ergo non possunt habere vim & proprietatem inducendi dispositiones ad animam vegetatiuam. Si testes in semen possent inducere animam vegetatiuam; cur non & iam in suum obiectum, seu alimentum, eam inducere possent mammæ, & ossa, & membranæ, & reliquæ partes tam similares, quam instrumentales? Quarto, anima rationalis semper producit in semine calorem actualem; & calor actu, ita est de essentia

ſeminis, vt ſi ſemen vel in minimo perderet eum, ſtatim deſineret eſſe ſemen, & deſineret eſſe fœcundum : at calor actu non eſt diſpoſitio ad animam vegetatiuam; quia nullæ plãtæ reperiuntur in mundo habentes calorem actu: imo calor actu plantas interimit, & marceſcere facit; quare anima rationalis non poteſt producere diſpoſitionem ad animam vegetatiuam, nec conſequenter illam ipſam. Quinto, potentia generatiua non eſt alia, quã ſpermatifica, & conſequenter nutritiua, vt infra latius oſtendemus: at potentia nutritiua non operatur ad aliam animam, ſeu ad diſpoſitiones alterius animæ in alimentum introductioni ſeruientes, quam ſuæ, id eſt rationalis. Ergo. Si teſtes haberent potentiam ingenerandi ſemini animam vegetatiuam, haberent etiam potentiam ingenerandi & ſenſitiuam, & rationalem. At hoc eſſe non poteſt; quia vna & eadem pars non poteſt habere potentiam introducendi in vnum, & idem ſuum obiectum tres animas ſpecie diuerſas, aut tria diuerſa genera diſpoſitionum ad tam diuerſas formas tendentium. Ergo. Quod autem haberent potentiam producendi omnes tres animas, probari videtur ex eo, quod Galenus 1. de ſemine cap. 16. iam citato doceat teſtes ſemine nutriri: ſi ſemine nutriũtur; ergo eo ipſo introducunt in ſemen animã rationalem: ſi

ergo

ergo ante nutritioné fuit introducta vegetatiua; ergo fuit etiam introducta & sensitiua: quia non videtur posse esse transitus à vegetatiua ad rationalem, nisi per mediam sensitiuã. Sexto, si in semine humano esset anima vegetatiua; homo per suam potentiã generatiuam non produceret sibi simile. quia saltẽ pater nõ produceret nisi animã vegetatiuã, quæ nõ est similis animæ eius. Nam si post coitũ moreretur, & postea nasceretur ex eo filius, filius ille nõ esset à patre genitus; quia filius ille esset homo, & haberet animã rationalẽ: pater autẽ non generasset nisi plantã habẽtem animam vegetatiuã. Dices, semẽ patris cũ illa sua anima vegetatiua, qua præditũ est, fuisse operatũ in virtute animę patris, & vt instrumẽtũ eius ad animã rationalẽ; & ea ratione actionẽ eius adscribendã esse patri, tãquã causæ principali: & hac ratione patrẽ produxisse hominẽ, & generasse sibi simile. Sed non valet: quia, quomodo posset anima vegetatiua seminis operata fuisse in virtute animę rationalis; cũ sint animæ speciẽ diuersę: quomodo in virtute animæ absentis, vel iã extinctæ? Semẽ habẽs animã propriã nõ potest operari in virtute alterius, sed debet operari in virtute propriæ formę, id est eius virtus debet operari in virtute sui proprij suppositi & nõ alieni. Nullũ enim accidẽs operatur in virtute alterius formæ, sed solum in virtute

ſuæ, ſeu in virtute illius cui eſt vnitum, & cuius eſt accidens, & à qua dependet. Semen autem deciſum à patre cum ſua anima vegetatiua, eſſet ens per ſe; & eius actio eſſet actio propria, & non poſſet eſſe actio patris, neque patri, vt cauſæ principali vlla ratione adſcribi. Septimo, quæro qua anima prædita ſint ſemina plantarum, & brutorum? Abſque dubio dices, ſemen plantarum non eſſe præditum alia, quam vegetatiua: atqui ſi planta potuit introducere in ſuum ſemen animam vegetatiuam ſimilem ſuæ; quomodo non poteſt anima hominis eadem ratione introducere in ſemen ſuum animam ſimilem ſuæ? aut, ſi dicas id eſſe propter animæ humanæ excellentiam, quomodo ſaltem non potuit inducere ſenſitiuam? Et quomodo illæ duæ animæ, vegetatiua plantæ, & rationalis hominis, tam natura, & agendi inſtrumentis diuerſæ poſſunt in ſua ſemina tam natura, conſiſtentia, ac qualitatibus diuerſa eandem ſpecie animam inducere? Et brutorum ſemina, qua quæſo anima prædita ſunt? Non poteſt dici, quod ſenſitiua; quia iam ſemen eſſet brutum, & generatio fieret in teſtibus, quod eſt abſurdum; & cum teſtes ſemine nutrirentur (ſi nutriuntur) in ea nutritione non fieret ſubſtantialis tranſmutatio. quia iam ſenſitiua anima ante nutritionem in ſemine præfuiſſet. Dicendum itaque

eſſet

eſset ei animam quoque vegetatiuam ineſse. At quomodo poteſt omnium illorum viuentium ſemini ineſſe eadem anima? Quomodo omnes illæ tres animæ, tam eſſentia, atque excellentia diuerſæ, ac tam diuerſis vtentes inſtrumentis ac temperamentis poſſunt in ſuum ſemen eandem ſpecie animam introducere?

Ad argumenta contra concluſionem in principio quæſtionis allata; ſeu ad argumenta principalia, ſic reſpondeo. Ad primum: fateor præmiſſas eſſe veras; ſed nego ſequelam. Bene quidem infertur eſſe aliquam animam ſemini intrinſecam, ſed minime eſſe animam ſeminis. Eſt equidem anima ſemini introducta poſtquam ſemen iam in vtero eſt conceptum, vel plantatum in terra, vel ouum excubationi gallinæ ſubditum. & cum iam omnia ſunt actuata; ſed illa non eſt anima ſeminis, ſeu quæ ſemini præinexſtitit aut in teſtibus, arbore aut gallina genita fuit, ſed anima fœtus, quæ poſtmodum fuit introducta.

Ad ſecundum reſpondeo eodem modo. Admitto enim vtriuſque actionis idem eſſe principium, illudque eſſe animam: ſed nego eſſe animam ſeminis: id eſt nego eſſe animam ſemini ingenitam, vel quæ præinexſtiterit conceptioni; ſed dico eſſe ſemini poſtea

ſuperinductam, adeoque formam embryonis, non ſeminis.

Ad tertium reſpondeo eodem modo.

Ad quartum reſpondeo negando minorē. Etenim non eſt verum eodem principio debere ſemen producere nouam plantam, quo producunt eam radix, folia, rami. Alio enim modo producitur noua planta ex illis, alio modo ex ſemine. Ex illis non quidem producitur noua planta; ſed ipſa cum iam ſunt à plāta amputata, ſunt noua planta; quia per abſciſſionem à toto iam habēt animam vegetatiuam multiplicatam per diuiſionem, & non acquirunt eam. Solum hac ratione dicuntur producere nouam plantam, quod per ſuam animam, quam in ſe habent, paulatim in terra ſeipſas augeant, conforment, & perducāt ad perfectionem, vt fiāt plantæ abſolutæ cum omnibus partibus ſuis. Contra eſt in ſemine: ſemen enim non eſt noua planta; quia animā non habet; ſed fit noua planta per animæ poſt plantationem in terra ſuperuentum: & cum eam acquiſiuit, tum conformat ſeipſum, & perducit ſe ad perfectam plantæ figuram: non dico per animam, quam ante ſemper habuit; ſed quam poſt plantationem acquiſiuit. Et ſic patet quomodo non ſit eadem cauſa efficiens conformationis vtriuſque plantæ; illius ſcilicet, quæ fit à radice, ramo, &c. & illius, quæ

fit

fit ex ſemine. Etenim conformationis illius quæ fit ex ramo efficiens eſt anima ramo ante plantationem præinexiſtens, atque in ramo relicta, & per abſciſſionem multiplicata, adeoque ipſius arboris animæ pars: aſt conformationis illius quæ fit ex ſemine efficiens eſt non anima ſemini præinexiſtens, ſeu quam retulit ab arbore; ſed de nouo in ſemine poſt factam in terra plantationem producta: proinde eadem quidem ſpecie cum illa quæ eſt in arbore, ſed non eadem numero, ſicut illa quæ eſt in ramo plantato. Nam quæ eſt in ramo ſeu talea plantata eſt eadem numero cum illa quæ eſt in arbore, id eſt, fuit eadem numero; etiamſi poſt abſciſſionem ab arbore ſit multiplicata. Quapropter illo argumento non probatur ſemen eſſe animatum, ſed ſolummodo poſt plantationem fieri animatum. At hoc quod dicitur in argumento, quod ſic ſequeretur duas eſſe in arbore conformatrices ſolo numero diſtinctas; vnam in ramo, radice, aut folio; alteram in ſemine: reſpondeo minime ſequi; quia eo modo, quo dixi, non eſt in arbore, niſi vna conformatrix, nempe illa quæ eſt in anima arboris, diſperſa, vna cum illa per omnes partes eius: at in ſemine quamdiu adhæret arbori, & quãdiu non

est plantatum atque actuatum, nulla est conformatrix, quia nulla est anima: sed postmodum facta actuatione, & anima introducta primum superuenit.

Ad quintum respondeo, & dico: Sequelam quidem fore bonam si antecedens esset verũ; sed est falsum. Falsum enim est semen esse animatum, vt iam est ostẽsum. & ita quoque falsum est & consequens. Ad authoritates respondeo. Ad Hippocratem; locutionem eius esse impropriam, & verba illa diuersimode posse intelligi. vult solum Hippocrates dicere semina parentum ante conceptionem debere misceri: an ante illam actu sint animata, an post fiant, ex illis verbis non colligitur. Ad Galenum dico: locum illum non de actu sed potentia solum viuentibus esse intelligẽdum; quod eo loco satis est ad comprobandum Galeni intentum & ostendendum illa etiam marcore affici posse; vt quibus insit humidum aliquod primigenium, quod calore exiccari paulatim & consumi potest. Cum dicit in semine esse vim attractricem impropria est locutio; non enim vult dicere in ipso esse vim attractiuam vitalem, aut talem quæ sit potentia animæ, sed qualem habent multæ aliæ res non animatæ. Cum dicit masculinum semen nutriri fœmineo, non vult dicere illud nutriri proprie, sicut nutriuntur animata; sed solum-

modo

modo augeri, & foueri à fœmineo, & materiã acquirere, qua partes aliquæ minus nobiles, vt membranæ, &c. conformentur. Quoad Aristotelem: eius opinio in hac parte valde est dubia; quia & verba eius vbique fere sunt obscura, & loca reperiuntur adeo ambigua, vt sibi mutuo contrariari videantur. In tantum, vt qui hanc quæstionem tractant, quamcumque partem teneãt, omnes pro se Aristotelem, imo eadem ipsius loca allegare non vereantur. Verior opinio est, eum voluisse semen non actu, sed potentia solum esse animatum. Ita clare dicit 2 de generatione animalium capite 3. his verbis: *Animam igitur vegetalem in seminibus & conceptibus nondum separatis haberi potentia statuendum est, & non actu; priusquam eo modo, quo conceptus, qui separãtur, cibum trahant, & officio eius animæ fungantur.* Et infra idem clarius dicit sic: *De anima quemadmodum conceptus & genitura habeant eam iam definitum est: potentia enim habent; actu non habẽt.* Accedit, quod variis locis, vt 1. de generatione capite 17. & 18 & 7. de historia animalium capite 1. dicat semen solum esse excrementum vltimi alimenti: tale autem ipsum putasse actu esse animatum, non est veritati consentaneum. Ad loca eius omnia respondere, eaque interpretari ac conciliare nimis operosum & longum & meo iudicio plane
 inutile:

inutile: ac præter propositum esset; quare id omitto. maxime cum nouam & paradoxam statuenti doctrinam non sit necessum multum authoritates curare; quin potius veris & firmis rationibus ex rei natura desumptis ea stabilire, ac probare. Ad argumenta ergo à ratione desumpta respondeo. Ad secundum, talem subiecti conditionem sufficere, vt possit esse animatum, modo reliqua omnia requisita accedant; non autem arguere, necessario esse animatum. Potest enim reperiri corpus simili, imo maiore longe partium heterogeneitate ac calore natiuo præditum, & tamen minime animatum; vt sanguis, lac, &c. Ad tertium respondeo negando antecedens. Falsum enim est semen plantarum esse animatũ. Si semen esset pars plantæ, eique continuum, & nutriretur nutritione proprie dicta, atque à principio interno, & esset organicum; equidem sequeretur esse animatum: at ita non est: quare neque est animatum. Quod vt bene intelligatur, videndum quid proprie sit semen, quid fructus; & quomodo conueniant, quomodo differant. Pro quo sciendum est, illud proprie esse semen, ex quo in terra plantato fit noua stirps. Semen aliquando vocatur fructus, aliquando non: id est, aliquando semen & fructus coincidunt, aliquando non. Semina parua anisi, fœniculi, dauci, &c. non quidem

vocan-

vocantur fructus; sed maiora illa carneam pulpam, & præcipue comestibilem habentia, vt castaneæ, glandes, amygdalæ, pistacia, nuces; vocantur. Dioscorides, Galenus, Theophrastus semina includunt in ratione fructus, & sæpe sola semina fructus appellant. Galenus 2. de facultatibus alimentorum capite 1. sic inquit: quod siliqua semineque compositum est, est fructus. Theophrastus 1. histor. plant. capite 3. sic ait: est autem fructus, quod carne, & semine constat. Et Galenus 11. de simplic. Medic. facult. titulo de facultatibus ouorum; fructum & semen confundit his verbis: Conceptus autem siue fœtus fructibus proportione respondent; nimirum ad generis propagationem à natura creati. Vbi nomine fructus intelligit semen. Semen enim est ad speciei propagationem à natura creatum, non fructus. Et loco citato de facultatibus aliment. legumina, & dolychi semina vocat fructus. & capite 17. & 38. & aliis ibidem glandes, pineas, pistacia, amygdala appellat nomine fructuum, ac de iis inter alios fructus agit. Et Theophrastus 2. de causis plantarum capite 10. 11. 18. & libro 4. capite 3. & libro 5. glandes amygdala, fabas, &c. in numero fructuum collocat, & etiam tales appellat. Porro nomen fructus

est

est valde æquiuocum. Etenim nomine fructus appellatur vt plurimum, illa pulpa carnea, quæ plurima semina circumdat, atque obuallat, & hominibus frequentissime cedit in alimentũ, vt in pyris, pomis, cydoneis, &c. Aliquando fructus nomine veniunt siliquæ, quibus semina, & legumina includuntur; præcipue si comestibiles sint; vt pisorum, fabarum, &c. sicut mox ex Galeno dixi. Quin & Galenus 2. de facultatibus alimentorum capite 34. cappares, & capite 51. cynaram, seu artiococũ inter fructus recenset. Sed & radices, vt rapæ, caryotæ, tubera, seu glandes terræ, aliaque quæ in vsum veniunt alimenti, non raro fructus nomine censentur. Sic Theophrastus libro 1. Histor. plant. cap. 11. Arachidnæ radicem, quæ eadem esse putatur cum illa quam Itali taratufoli, Indi Pappas appellant; quia comestibilis est, nomine fructus appellat. Adeo vt fructus comestibilitate fere censeatur. Et quidquid globosum carnea præditum substantia plantarum ac arborũ extremis adnascitur, ac hominibus cedit in alimentum, fructus appelletur. Etenim quæ comestibilia non sunt, etiamsi eiusdẽ plane sint naturæ cum iis quæ comeduntur, vt siliquæ lupinorum, lentium, cicerum; pericarpia nucum, castanearum fructus appellatione excluduntur: adeo vt Græci ἀκάρπους vocent illas arbores, non quidem quæ fructũ nullum

nullum ferunt, sed quæ esui inidoneum: quasi nihil sit fructus, nisi quod comestibile est. Ego seposita hominum appellatione, sola rei natura considerata, iudico sola semina vere, ac realiter esse fructus, reliqua omnia, quæ semen circumstant ac muniunt, vt pelliculas, putamina, cortices, carneam pulpam, non esse vere fructus sed solum operimenta, ad illud quod vere fructus est, quodque in medio omnium continetur, nempe semen, includēdum, conseruandum, atque ab iniuriis externis protegendum comparata; quæ ideo à Theophrasto περικαρπίου nomine appellantur. Sciendum secundo, ad essentiam seminis nihil horum pertinere, neque pelliculas, neque cortices, neque quidquam aliud; sed semen esse solummodo simplicem illum nucleum, seu corpus illud homogeneum, quod in medio omnium, atque intra vltimam pelliculam cōtinetur. Quibus positis, facile est intelligere, an fructus & semina viuant, necne. Bulbos, tubera, & glandes terræ, aliasque radices, quæ improprie nomine fructus appellantur, viuere non est dubitandum. Radices enim vel maxime inter reliquas plantarum partes viuere certissimum est. An siliquæ, & fructus carnea pulpa præditi, vt pyra, poma, persica, viuant necne, non omnes cōueniunt. Aliqui viuere & veras stirpium partes esse autumant; alij non.

non. Galenus 11. de simplic. Medic. facult. titulo de facul. ouorum & commento in 1. aphoris. sect. 4. asserit arborum partes minime esse. ex quo sequeretur communi earum vita non frui. Si fructus partes arborum non essent, multominus essent semina, quod pro sententia mea, ac posita conclusione, quam maxime faceret. Verum ego nihilominus eiusmodi fructus omnes animatos ac veras stirpium plantas esse, & quæcumque circa eos sunt putamina, siliquas, cortices, pedunculos, pelliculas omnes, & quidquid pericarpij nomine potest contineri, excepto solo semine, communi stirpis vita, quamdiu ei adhærent, prædita esse pronuntio. ad quod credendum inducor variis rationibus. Primo; quia arbori continuantur; quia habent substantiam solidam circumscriptam; quia habent determinatam, ac speciei suæ propriã magnitudinem, & figuram; quia sunt heterogenea, organica, & magno artificio ad actionem, & vsum specialiter à natura intentũ conformata; quia nutriuntur à principio interno, & augentur in omnem dimensionem. Quæ omnia sunt vitæ euidentissima argumenta. Semen autem, id est, nucleum, qui in medio pellicularũ omnium continetur, quique formaliter est semen; dico non esse animatum. Ratio est: quia ille nec est arbori, neq; fructui conti-

cōtinuus, ſed continetur in pericarpio, ac corticibus, & pelliculis ſicut contentum in continente, & ſicut locatum in loco, & non vt pars in toto; & eſt corpus homogeneum, & minime organicum. Obiiciet aliquis, minime videri hæc ita ſe habere. Nam ſicut partes pericarpij heterogeneæ ſibi mutuo adhærent, & conſequenter arbori; ita & nucleus membranæ proxime eum inuoluenti; & mediante illa reliquis quoque pericarpij partibus, & tandem toti ſtirpi adhærere videtur. Inſuper habet ſuam ſoliditatem, ſicut aliæ fructus partes, & non raro maiorem, ſuam propriam & determinatam figuram, quibus ſingula ab aliis alterius ſpeciei ſeminibus diſtinguuntur ac dignoſcuntur: nutritur à principio interno, & proportionaliter creſcit, & augetur in omnem dimenſionem vſque ad magnitudinem ſpeciei ſuæ propriam; idque ex alimento cōmuni ab ipſa arbore attracto. Secundo: ſi omnes particulæ fructuū viuunt, vt iā dictum eſt; ergo eadē ratione viuūt quoq; & ſemina, quæ in iis continentur, & eorū quoq; partes ſunt. Tertio, ſi fructus viuunt; multa ſemina ſunt fructus, vt amygdala, caſtaneæ, &c. ergo illa quoq; viuēt: ſi illa viuunt, ergo idē quoque & de omnibus aliis ſeminibus erit pronunciandū. Nā quę ratio eſſet cur aliqua ſemina viuere dicēda eſſēt, alia nō? Ad obiectiones reſpōdeo.

Ad

Ad primam: nucleus non eſt niſi quidam ſuccus, quem planta tanquam ſuperfluum ſui alimenti ſeparauit in vſum propagationis ſpeciei, & incluſit pelliculis & corticibus, tanquam capſulis, vt in illis congregaretur & cõſeruaretur, in iiſque paullatim exſiccaretur; vt in lõgum tempus poſſet perdurare. Talis ſuccus cum ſit liquidus, non adhæret pelliculæ; nec eſt pars eius, ſed in ea continetur vt in folliculo ac in vaſculo, & vt contentũ in continente: contentum autem non eſt pars continentis. Sicut enim ſemen animalium eſt ſuperfluum alimenti, & ſeparatur à natura, & tranſmittitur ad paraſtatas, vt ibi conſeruetur in vſum & tempus generationis, & non eſt pars corporis, neque adhæret aut continuatur eis; ſed in iis eſt ſicuti contentum in continente; ita & ſemen plantarum. Solum hæc eſt differentia, quod illud ſuperfluum alimenti plantarum, ſeu ille ſuccus, in planta paulatim inſpiſſetur, & conſolidetur, in animalibus nõ: cuius ratio eſt, ne deciduis ſub autumnum foliis, vel planta vento agitata, diffluerет, putreſceret aut corrumperetur; ſed ab hominibus colligi, coaceruari, & in longum tempus ac in vſum ſationis vel alimenti poſſit adſeruari. Semen ſeu illum nucleum eſſe talem ſuccum, manifeſtum eſt in nucibus, glandibus, caſtaneis, in quibus videre eſt illud quod poſtea

postea fit semen, & nucleus, in principio esse quid aqueum pellucidum, instar albuminis oui, & paulatim magis, magisque calore solis condensari, & indurescere. Insuper succus ille non nutritur, sed augetur solummodo per accumulationem; sicut semina animalium; & nō habet propriam figuram acquisitam à principio intrinseco, sed figuram solum continentis, membranarum nempe ac corticum, quorum terminis sese accommodat. Denique succus ille seu nucleus non est organicus, sed est quid homogeneum; organizatio est in partibus pericarpij, non in ipso nucleo. Ad secundum respondeo: ideo aliæ omnes fructuum particulæ viuunt, quia vere sunt stirpium partes; nucleus vero non, quia non est nisi succus, & superfluum alimenti, & est in aliis partibus vt contentum in continente; quod non debet continentis forma præditū esse, vt in sanguine, spiritibus ac semine animalium est manifestum. Ad tertiam respondeo. Non omnia quæ fructus nomine appellantur, vere ac essentialiter esse fructus; sed nomen fructus esse æquiuocum, & ad plura extendi: & sic extendi posse, & ad ea quæ arboris partes sunt, & ad ea quæ non sunt: id est, & ad id quod est animatum, & ad id quod nō est animatum. Censentur fere fructus comestibilitate, & vsu alimenti. Potest autem in

planta habere vſum alimenti, & quod animatum eſt, & quod animatum non eſt. Et hoc in animalibus quoq; eſt manifeſtū: nā & partes animalium quæ animatæ ſunt, poſſunt nobis cedere in alimentum, & quæ animatæ non ſunt, vt lac, ſanguis, medulla, & adeps. Verus fructus arboris eſt ſemen: ſicut autem vnum ſemen non eſt animatum, ita nec aliud. & ideo ſi nomine fructus non cenſerentur niſi veri fructus, id eſt ſemina, eadem omnium fructuum conditio eſſet, nec vnus eſſet magis animatus quam alter. Atque ex hiſce patet erraſſe doctiſſimum à Veiga commento ſuper caput 47. artis paruæ, cum ſemina in arboribus, & plantis nutriri, & ali, & partes ſtirpium eſſe affirmauit.

Quod ſi cui hæc omnia non arrideant, quæ meo tamen iudicio pulcherrima ſunt & à nemine vnquā, quod ſciam, excogitata, putetq; per hæc non ſufficienter ſolui argumentum quintum ſupra contra concluſionem allatum: reſpondeo aliter; & dato non conceſſo antecedente, nego ſequelam: & dico, hanc conſequentiam non valere; ſemen plantarum eſt animatum; ergo & animalium. Etenim diuerſa plantarum & animalium ratio eſt. Poſſunt enim plantæ in generatione, & ſeminis productione habere aliquid peculiare, quod non habeant animalia: nimirum, vt eorum

ſemen

ſemen ſit animatum, animalium vero non: ratio autem cur hoc merito eſſe poſſit, eſt; quia in plantis non eſt ſexus, ſicut in animalibus: diuerſitas autem ſexus eſt cauſa cur ſemẽ non poſſit eſſe animatum. Nam, cum in generatione animalium debeant vtriuſque ſexus ſemina concurrere; ſi vtriuſque ſemen eſſet animatum, ſemper in generatione concurrerent duæ animæ, tum virilis, tum fœminei ſeminis, ex quo fieret, quod in vnoquoque fœtu vel deberent eſſe duæ animę, vel vna ex duabus coagmentata: quod abſurdum ac impoſſibile foret. In plãtis autẽ, cum nõ ſit ſexus, nõ producitur in ſemine niſi vna anima: & ſic in generatione earũ illud inconueniens non occurrit. Ad hoc, quod dicitur in proſecutione argumenti, ſeu in probatione antecedẽtis, ſemina ad aliquod tẽpus eſſe fœcunda, & poſtea perdere ſuam fœcunditatem, quod animæ eis inexiſtẽtis videtur eſſe argumentũ. Reſpõdeo non eſſe eius argumentum; nec hoc fieri, quod anima ſeminis poſtea pereat; ſed quod nimia temporis mora, vel ſpiritus ſemini inexiſtentes euaneſcãt; vel ſemen calore aeris nimium exſiccetur, vel frigore congeletur, vt tẽperamentũ eius pereat, vel aliæ diſpoſitiones ad animæ introductionẽ neceſſariæ nobis incognitæ, extinguãtur. Certum enim eſt ad formarũ introductionẽ lõge plures diſpoſitiones

quam primarum qualitatum temperies necessarias esse, & si nobis incognitæ, nulloque sensu perceptibiles sint. Ad quartũ respondeo negando antecedens. ad probationem dico; Aristotelem ibi solum velle oua esse animata potentia non actu; sicut etiam de seminibus non semel dixit: & oua subuentanea solum habere principium ad animam vegetatiuam, non autem ad sensitiuam. Etenim, cum dicat oua subuẽtanea minus perfecte viuere fœcundis; si illa haberent animam vegetatiuã actu, sequeretur secundum illa verba, fœcunda habere animam sensitiuam actu. quod nulla ratione, neque veritati, neque Aristotelis opinioni consentaneum est. Accedit quod ipse dicat ex subuentaneis non posse fieri animatum actu. Nam si sint tam imperfecta, vt ex iis non possit fieri animatum actu: ergo multo minus sunt animata actu. Dices; Aristotelem velle non esse animata actu anima sensitiua, sed bene vegetatiua. Contra: quia sic sequeretur, vt iam dixi, fœcunda esse animata actu anima sensitiua: at non esse sic animata patet ex verbis Aristotelis, cum dicit ex subuentaneis non posse fieri animatum actu, sed bene ex fœcundis. Nam, cum dicit ex fœcundis posse fieri animatum actu, clare ostendit ipsa non esse animata. Cæterum non esse oua animata actu, sed solum potentia, sunt ex-

pressa

pressa verba eius 2. de generat. animal. capite 4. vbi de iis sic dicit. *Constat igitur hæc aliquam habere potentia animam.* Et capite 3. in fine: *Quapropter quibus animalibus oua subuentanea gignuntur, partes quidem vtrorũque* (sanguinis scilicet & menstrui) *obtinet ouum institutum, sed principio caret: quapropter animatum non est.* Ad argumentum à ratione desumptum respõdeo eodẽ modo, quo ad argumentũ à semine plantarum desumptum: nimirum externas oui partes cortices, membranas esse partes gallinæ, quamdiu gallinæ adhærent: nutriri, & augeri à principio interno & ab anima: habere determinatam figuram, & conformationem, & esse organica: minime autem ouum ipsum, id est internas oui partes, albumen & vitellũ. Illa enim duo essentialiter sunt ouum, & non putamen, aut pellicula; quia hæc sunt tantum oui velamenta, ac capsula, qua concluditur & retinetur, ne vel intus vel foris diffluat, vel putrescat, vel eius spiritus, aut calor natiuus destruantur, aut exhalent. Etenim ex ouo generatur gallina; non autem ex cortice vel pellicula; quia illa post generationem supersunt; ergo ipsa ouum non sunt. Quod ergo vere ouum est, toti non adhæret; quia aperto cortice effluit; sed in cortice, sicut vrina in vesica continetur: non habet soliditatem, aut circumscriptionem propriam, aut

figuram, ſed ſolum per accidens; nimirum talem, qualem habet locatum ratione ſui loci, & contentum, continentis. Fluidum enim eſt: quæ autem fluida ſunt, ſuarum partium propriam circumſcriptionem non habent, ſed ſe ſolum terminis accommodant alienis: & quia fluidum eſt, ideo quoque non eſt organicum. Non etiam vere nutritur, & augetur, ſed ſolum per accumulationem liquoris, ſicut augetur cereuiſia in vaſe, cum continuo nouæ partes affunduntur. Ouum ergo non eſt corporis pars, ſed eſt ſuperfluum vtilis alimẽti; quod natura ſecreuit ad ſpeciei propagationem, & repoſuit in eiuſmodi veſiculam, aut capſulam, vt conſeruari poſſet in vſum & tempus, quo gallinæ incubantis auxilio poſſit animari, & in nouam auem conformari. Vtrãque opinionem noſtram, & de plantis, & de ouis confirmat Galenus 11. de ſimpl. Med. facult. capite de ouis, dicens neque fœtum matris, neque fructus arboris, neque oua gallinæ partes eſſe: vbi per fructum ſemẽ ipſum intelligere ex eo patet, quod ſtatim ſubiungat fructus ad generis propagationem à natura eſſe creatos. Obiiciet aliquis, nõ tantum ouum externum eſſe organicum, ſed & internum. Etenim vitellus eſt rotundus, non ratione continentis, ſed per ſe & ex natura ſua, & ex intento naturæ: continens enim nõ

dat

dat ei formā illā, nec poteſt impedire quo minus diffluat, & cū albumine cōmiſceatur. Denique iacet in medio albuminis, ab ipſo propria mébrana ſeparatus: hæc ſunt aliqua organizationis, ac proinde animæ ſigna. Verum reſpōdeo: hæc non eſſe ex peculiari organizatione; ſed ex alio principio, nēpe partim ex diuerſitate téperamenti, & modi ſubſtātiæ eorū, quibus fit vt non miſceantur, ſed à ſeipſis maneant diuiſa; partim, ac præcipue, quia vitellus iacet rotūdæ mēbranæ incluſus, à qua formā illā habet, & propter quā nō poteſt cū albumine commiſceri. mébrana autē illa fuit in prima oui generatione producta; & fuit particula corporis gallinæ, & abſque dubio animata; ſed naſcéte ouo diuulſa, & ſua anima, vt & reliquæ externi oui partes, deſtituta. Vitellus, & albumen ſunt ſubſtantiæ, eſſentia diſtinctæ. Albumen eſt materia conſtitutionis oui, vitellus nutritionis; & ſic ſunt entia diuerſa, nec sūt partes vnius entis continui, & ita non poſſunt cōſtituere vnū ens organicū. Probat Carrerius diſputatione 73. cap. 4. ſuper Auicennā oua nō eſſe animata. Primo, quia non ſunt organica. Secundo, quia non nutriuntur, neque augētur, neque ſignū vllū vitæ edunt. Tertio, quia finis eorū eſt, vt ſint materia viuētis: ad eſſe autem materiā viuétis nō requiritur vt ſint animata. Vērū nullū iſtorū probat intētū: non primum;

quia, vt infra ostendemus, ad esse animæ non requiritur organizatio. Non secundum; quia ad esse simpliciter non sunt necessariæ operationes. potest enim aliquid esse, etiamsi nõ operetur. operari enim est posterius esse. prius autem bene potest esse sine posteriori. Non tertium; quia qui contrariam tuentur sententiam possent dicere non esse verum, finem oui solum esse, vt sit materia generationis, sed esse, vt ipsum habeat in se potentiam conformatricem, qua possit in absentia generantis conformari; quam sine anima non videtur posse habere: cum potentia illa necessario debeat esse vitalis, sicuti & actio est: vitalis autem potentia nusquam esse possit, vbi principium vitæ, seu anima ipsa non sit.

QVÆSTIO VI.

An aliqua alia virtus non animata seu nulli animæ coniuncta sit efficiens Conformationis.

COmmunis opinio est, semen non esse animatum, sed esse in eo quandam vim actiuam admirabilem ac plane diuinam, impressam in testibus ab anima parentum; quæ ipsum in vtero existens conformet, atque orga-

organizet. Hanc dicunt esse vicariam generatiuæ parentum. Nam, quia generatiua parentum non potest esse præsens loco in quo fit conformatio; ideo dicunt Deum, & naturam dedisse ei vim & prærogatiuam imprimendi semini virtutem aliam, quæ posset subire vices eius absentis, atque agere in virtute eius, ac esse eius instrumentum ad conformandum. Qui hanc sententiam tenent, asserunt illam subiectari in spirituosa parte seminis; & ex illa agere in crassiorem, eamque conformare. Differentia est; quod Philosophi asserant eam esse solummodo in semine maris; Medici vero in semine vtriusque, tam fœminæ, quam maris. Hanc opinionem tenent Gentilis Fen 1. primi doctrina 7. capite 2. Fernelius libro 6. capite 4. 6. 9. Vallesius 2. controuersiarum capite 7. Laurentius 8. controuersiarum anatomicarum, quæstione 2. & 12. Mercurialis libro de hominis generatione capite 9. Carrerius disputatione super Auicénam 33. capite 5. & 36. capite 1. Archangelus in prælectionibus anatomicis, prælectione 3. Mercenarius in elucidat. fol. 379. Et inter Philosophos D. Thomas 1. parte, quæstione 118. articulo 1. & 3. parte, quæst. 32. articulo 4. & 2. contra gentes cap. 89. Conimbricenses 1. de generatione, & corruptione, capite 4. quæst. 26. Zõzinas 7. Metaphys. quæstione 29.

Zoares tomo 1. Metaphyſ. diſputat. 18 ſectione 2. textu 31. Fonſeca tomo 2. Metaphyſ. lib. 5. capite 2 quæſt. 7. Franciſcus Piccolommeus 2. de anima textu 48. & plerique omnes tam Medici, quam Philoſophi.

Et probatur. In ſemine eſt conformatrix; vt ſupra concluſione tertia eſt oſtenſum: in ſemine non eſt anima; ergo in ſemine eſt aliqua alia conformatrix, quæ non ſit potentia animæ. Confirmatur; officium generatiuæ parentum eſt producere ſibi ſimile in ſpecie, & materiam conformare, & immutare, quouſque ſimile in ſpecie reſultet: at generatiua parentum ipſamet per ſe hoc facere nõ poteſt, propter ſuam à loco generationis abſentiam, & ſeparationem. Ergo facit per aliud, tanquã per ſuum vicarium, ac ſuum inſtrumentũ. Ergo eſt in ſemine aliqua virtus conformatrix, locũ tenens, & vicaria generatiuę parentum, & inſtrumentum eius; cuius actio generatiuæ parentum tanquam cauſæ principali merito ſit adſcribenda. Confirmatur ſecundo: quia, ſi non eſſet talis aliqua virtus actiua conformationis in ſemine, parentes non vere generarent: ſed generant; & non generant immediate: ergo mediate. Ergo per aliquam vim actiuam ſemini inexiſtentem, quæ faciat conformationem ac generationem. Confirmatur clarius: actus adæquatus potentiæ gene-

nera-

neratiuæ eſt generatio: ſed conformatio, & alteratio ſunt generatio: ergo conformatio & alteratio ſunt actus adæquatus potentiæ generatiuæ: ergo generatiua exercet eas: non exercet per ſeipſam; ergo per virtutem vicariam ſemini impreſſam.

CONCLVSIO ſeptima. In ſemine vt ſemen eſt, & vt eſt in teſtibus, & priuſquam iam animã in vtero recepit, nulla eſt virtus actiua Conformationis aut generationis: nec ſemen in generatione ſe habet vt inſtrumentum, aut vt efficiens, ſed ſolũ vt materia: & in neutro ſemine parentũ eſt vllum principium actiuum generationis, ſed ſolum paſſiuum.

Hæc concluſio eſt admodum paradoxa; quia eſt præter communem ſententiam omnium tum Medicorum, tum Philoſophorum, qui omnes vno ore ponunt in ſemine principium actiuum conformationis: Philoſophi quidem in ſolo ſemine virili; Medici vero in vtroque. Eſt nihilominus vera; & probo multis argumentis irrefragabilibus; quorum

Primum eſt hoc. Si in ſemine eſſet aliqua virtus actiua conformationis; vel illa eſſet aliqua potentia animæ, & potentia vitalis; vel aliqua alia virtus phyſica non vitalis, ſeu quæ non ſit potentia animæ: non poteſt eſſe potentia animæ: quia, non animæ

animæ præſentialiter exiſtentis in ſemine; quia ſupponimus, quod iam ante eſt probatum, in ſemine non eſſe animam: non etiam animæ abſentis, id eſt anima generantium: quia, vt ſupra oſtenſum eſt, potentiæ ſunt ab anima inſeparabiles, nec poſſunt migrare de ſubiecto in ſubiectum. promanant enim ex ſinu & eſſentia eius, & in ipſa ſubiectantur, & ſic non poſſunt eſſe ſine ea. Non poteſt etiam eſſe aliqua alia virtus Phyſica non vitalis: quia ſi eſſet talis; ſequeretur ſeminis in vtero conformationem & immutationẽ non eſſe actiones vitales: hoc eſt abſurdum; & tam abſurdum, vt nihil poſſit excogitari abſurdius. Ergo. Maior probatur: quia à potentia non vitali non poteſt procedere actio vitalis. Minor probatur: quia, quid poteſt dici abſurdius, quam ſeminis in vtero conformationem non eſſe actionem vitæ? Ab eadem virtute fit ſeminis immutatio, ad naturam oſſis, carnis, à qua fit conformatio: eodem enim tempore quo fœtus incipit conformari, etiam incipit nutriri, & augeri. Et ideo Galenus in libris de facult. natural. docet facultatem generatricem eſſe duplicem; aliam conformatricem, aliam immutatricem. qua doctrina oſtendit vtramque actionem eſſe eiuſdem potentiæ generatiuæ. Atqui immutatio ad naturam oſſis, carnis, eſt actio vitalis: quare & conformatio.

matio. Hoc argumentum tam validum eſt, vt Carrerius diſputatione 33. ſuper Auicennam capite 4. robore illius victus, fateatur illam actionem non eſſe vitalem. Quod, etſi fateri quidem ſit abſurdum; fateri tamen neceſſarium eſt, ſi virtus illa ſeminis ſtatuatur non eſſe vitalis. Nam quomodo alioquin à facultate non vitali poſſet procedere actio vitalis? Reſpondent Conimbricenſes 2. de generatione & corrupt. capite 4. quæſtione 26. articulo 2. ad hoc vt actio aliqua dicatur eſſe vitalis, non requiri, vt proficiſcatur immediate à potentia vitali; ſed ſufficere vt proficiſcatur à virtute principio vitæ coniuncta; ſeu virtute potentiæ vere vitali cognata, & à potentia vere vitali producta, eiuſque vicaria. Proinde dicunt conformationem eſſe actionem vitalem per hoc, quod fiat à virtute producta à potentia vere vitali; nempe generatiua paréntum, & quæ ſit inſtrumentum ſeu vicaria illius, & operetur in virtute eius. Verũ reſponſio non valet. Primo, quia ad hoc vt actio ſit vitalis, non ſufficit eſſe exercitam à virtute producta à potentia vitali, ſed requiritur vt ſit exercita actualiter ab ipſamet potentia vitali. Quia, ſi ſufficeret eſſe exercitam à virtute producta, ſeu cauſata à potentia vitali, ſequeretur quod calefactio à ſanguine, refrigeratio quæ fit à pituita, mordicatio, exulceratio, quæ fit à bi-

à bile, corrosio quæ fit à lixiuio, purgatio quæ fit à rhabarbaro, volatus lapidis per aera; essent actiones vere vitales: quia sunt actiones exercitæ à virtutibus, productis potentiis vitalibus. At certum est tales actiones nō esse vitales. Ergo. Secundo, ideo non valet, quia supponit semen esse instrumentum animæ generantis, quod est falsum, vt infra ostēdemus. Et vt ita esset, per hoc tamen adhuc non sequeretur, quod actio ab eo proficiscēs, propterea esset vitalis. Etenim; si semen esset tale instrumentum, quod actu moueretur à principio vitæ, & cum quo anima, quæ est principium vitæ, actualiter, & præsentialiter concurreret ad agendum; tum bene sequeretur, eius actionem posse dici, & esse vere vitalem; quia ad illam concurreret actualis motio animæ, seu principij vitæ. Ast qui semen asserunt esse animæ instrumentum, asserunt ipsum esse instrumentum separatum; &, vt ipsi explicant, tale, quod per se solum agere potest, quodque agit in absentia sui agentis principalis, & quod potest agere agente principali etiam extincto, & non amplius existente in rerum natura: & ad cuius actionem nulla omnino concurrit motio aut influxus principij vitalis. Quare talis instrumenti actio nulla ratione potest esse aut dici vitalis. Sic actiones, quas edunt spiritus & calor

calor natiuus in viuentibus, ſunt actiones vitales: quia, etſi ipſa non viuant, ſunt tamen inſtrumentum animæ, & potentiæ vitalis; & ſunt tale inſtrumentum, quod actu mouetur à principio vitæ, & cum quo anima actualiter ac præſentialiter concurrit, & cuius actioni coniungitur influxus eius. At actiones quas iidem ſpiritus & calor poſt mortem adhuc in cadauere ſuperſtites edunt, vt palpitatio, quæ aliquando adhuc ad aliquod tempus in muſculis animaduertitur à ſpiritibus ſua naturali virtute exire conantibus, & calefactio, quæ percipitur in manu, ab eius in abdomen recenter extincti animalis impoſitu, non ſunt actiones vitales, ſed actiones mere phyſicæ, & naturales: eo quod ſpiritus & calor non amplius edant eas, vt inſtrumentum animæ, aut in virtute illius, ſed in virtute propria, & vt entia mere phyſica; & quia ad eas nulla amplius animæ actio, directio aut influxus concurrunt.

Eſt ſecundum argumentum. Si in ſemine eſſet principium generationis, ignobilius produceret nobilius, & ſemen inanime produceret animatum: & virtus ſeminis, quæ eſt accidens, produceret ſubſtantiam; hoc eſſe non poteſt: quia nihil poteſt agere ſupra ſuas vires; & nihil poteſt alteri dare, quod ipſum

ipsum non habet. Ergo. Confirmatur: si esset in semine talis virtus physica, esset virtus tam diuina, & tam admirabilis, vt sit impossibile comprehendere aliquam virtutem mere physicam tam præcellentem esse posse. Etenim ederet actiones animæ proprias; & sola plures, quam omnes potentiæ nutritiuæ simul iunctæ. Ipsa ederet nutritionem, auctionem, conformationem: faceret attractionem, retentionem, concoctionem, ossificationem, carnificationem, membranificationem; ad quas diuersæ animæ potentiæ sunt requisitæ. Hæ enim omnes actiones in prima seminis conformatione simul exercentur. Has adscribere virtuti mere physicæ non vitali à ratione alienum est. Etenim nulla virtus potest exercere actiones animæ proprias; nulla virtus vnica potest exercere actiones tam diuersas, & tot animæ potentias simul sumptas, sua actiuitate, atque excellentia adæquare. Etenim, sicut anima est omnium formarum nobilissima; ita quoque eius potentiæ omnium aliarum formarum naturalium potentiis ac virtutibus antecellunt. Solet communiter responderi; non fore possibile virtutem istã omnia illa facere, si in virtute propria operaretur; sed operatur in virtute animæ generantis. & sic potest. Potest enim aliquod agẽs in virtute alterius producere effectum longe nobi-

nobiliorem, quam alioquin in virtute propria posset. Verum responsio non valet: quia non est verum semen agere in virtute animæ generantis. Etenim agit generante absente, imo generante extincto, & non amplius existente in rerum natura. Etenim pater abest à loco in quo fit conformatio: mater etiam potest abesse, & esse extincta, vt patet in ouis quæ excubantur in furno & in fimetis, & in ouis pauonis quæ excubantur à gallina. At nihil potest agere in virtute absentis, & non existentis: quia non existentis nulla est actio. Ergo. Denique, quia instrumentum non potest agere, nisi prius motum ab agente principali. nam vt inquit Aristoteles 8. Physicorum cap. 5. textu 37. instrumentū est agens motum. Et ita patet in securi, penicillo, calamo; quod nihil possint agere, nisi ab agente principali moueantur ac dirigantur. At semen non potest moueri ab agente absente, vel non existente. Ergo. Respondent duplex esse genus instrumenti: aliud coniunctum, aliud separatum. Coniunctum, inquiunt, operari non posse nisi moueatur ab agente principali: at separatū posse. Ideo enim, inquiunt, vocatur instrumentum separatum; quia ab agente principali est remotum; & consequenter quia agere potest, etiamsi ab agente principali non moueatur. Nam quod re-

motum eſt, non poteſt moueri ab alio, ſed debet agere per ſeipſum. Inſtrumenta artis, inquiunt, ſunt inſtrumenta, quæ non poſſunt agere niſi moueãtur ab agente principali, eo quod plerumque operentur per motum localem, cuius principium non habent à ſeipſis, ſed debent habere ab agente principali. Verũ in inſtrumentis naturalibus dicunt non ſemper eſſe neceſſum ea actualiter ab agente principali moueri; ſed ſufficere, ſemel fuiſſe mota, & ab eo recepiſſe illam, qua operẽtur facultatem. Sed non valet; & eſt mera euaſio; excogitata ſolum ad ſaluandum modum actionis in ſemine apparentis, ſeu conformationis. Quia enim Philoſophi ad argumentum allatum reſpondere non potuerunt, nec potuerunt reperire veram cauſam conformatricem, nec explicare, quomodo ſemen poſſit facere viuens, & quomodo ſubſtantia tam ignobili forma prædita poſſit efficere tam diuinam, & admirabilem conformationem, & tot alias actiones ei competentes, niſi dicerent eam hoc facere in virtute animæ generantis; ideo illam inſtrumenti in coniunctum, & ſeparatũ diſtinctionem, aut potius illam inſtrumenti ſeparati definitionem excogitauerunt. Fateor equidẽ dari inſtrumentum cõiunctum & ſeparatum, ſed nego coniunctum eſſe illud quod operari

non

non poteſt, niſi tangatur ab agente principali, & ab eo motum ac influxum accipiat : ſeparatum vero eſſe illud quod operari poſſit, etiamſi abſit ab agente principali, & ab eo non moueatur: quia de ratione inſtrumenti cuiuſcumque eſt, vt ab agente principali moueatur, & dirigatur, ab eoque recipiat influxum, & actualem cauſalitatem, & ab eo tangatur; ſi non quantitatiue, ſaltem virtualiter. Et hoc docet D. Thomas 2. contra gentes capite 21. his verbis : *Inſtrumentum autem nunquam adhibetur ad cauſandũ aliquid, niſi per viam motus. eſt enim ratio inſtrumenti quod ſit mouens motum.* Et eſt conforme doctrinæ Ariſtotelis loco ſupra allato, vbi docet inſtrumentum eſſe agens motum. Proinde aliter D. Thomas definit inſtrumentum coniunctum, & ſeparatum : dicitque coniunctum eſſe, quod agenti principali eſt vnitum ; vt lingua, manus, virtutes & proprietates rebus inſitæ. ſeparatũ vero, quod ab agente principali, ſecundum ſubſtantiam ſuam, entitatem, & ſitum eſt ſeparatum : vt calamus, ſerra, &c. Et non dicit ſeparatum eſſe illud, quod ab agente principali eſt ſeparatum cauſalitate, & actiuitate; quia tale inſtrumentum niſi in impropria ſignificatione non reperitur, quia eſt contra formalem rationem & eſſentiam

instrumenti. Et ita illa est vera instrumenti coniuncti & separati definitio. Nam si illud esset separatum, quod agere posset per se, sine concursu, & motu actuali alterius; sic nullum in mundo posset dari, aut reperiri instrumentum separatum. & præter exemplum seminis, de quo in præsenti est quæstio, non esset aliud. Zonzinas 7. Metaphys. capite 39. dicit instrumentum posse agere in virtute agentis principalis duplici modo; vel per virtutem ab illo acceptam intentionaliter vel per virtutem acceptam per modum formæ realis, & permanentis. Quando agit per virtutem acceptam intentionaliter, tunc nō potest operari, nisi motum actualiter ab ipso: sed quando agit per virtutem realem & permanentem ab illo acceptam, & in se fixam; tunc, inquit, potest agere quouis tempore nō motum ab agente principali: imo agente principali absente, & exstincto. Semen vero agit sic per virtutem permanentem & in se fixam receptam ab agente principali, & ideo potest agere illo absente, atque etiā extincto. Et eodem modo Carrerius disputatione 36. capite 1. dicit aliqua esse instrumenta quæ agere possint absente principali agente, & nō mota ab eo; per hoc, quod receperint ab ipso aliquam virtutem sibi intrinsecam & connaturalem. nam quia illam virtutem semper

habent

habent in ſe, ideo ſemper, inquit, poſſunt per eam agere; etiamſi agens principale, à quo eam acceperunt, nō ſit præſens, neque actualiter concurrat. Sufficit enim, inquit, ipſum ſemel eam vim in principio generationis ſuæ accepiſſe ab agente principali; & tum ſemel fuiſſe motum ab ipſo. Quotieſcunque enim poſtea per illam operatur, toties cenſetur moueri ab ipſo, etiamſi tum actu non moueatur: ex eo quod ſemel in principio fuerit motum; quando ſcilicet ab illo vim illam ac virtutem accepit; & toties quoque cenſetur operari in virtute ipſius; quatenus virtus per quam operatur, ab ipſo eſt profecta, ipſique impreſſa. Atque hanc ſolutionem habent, vti animaduerto, ex Auerrhoe 2. de generat. animal. comment. 1. vbi ſic inquit: *Dator ſeminis præſtat ſemini primo virtutem quam habet, adeo quod fungitur ſemen hac virtute officio ipſius ſeminificantis. quod quidem iam eſt ſeparatum*. Et ſubdit: *Et hoc eſt ſimile rebus admirabilibus, in quibus datur mouens, quod mouet aliquid, mox quieſcit, remanetque ſecundum quod de ſe mouetur; & mouetur eiuſmodi motu quem acquiſiuit à primo. ſic etiam in natura. Nam cum id à quo ſemen efficitur, præſtiterit virtutem naturalem ſemini qua mouet materiam, ad perfectionem & procreationem, qua quieſcente remanet ſemen mouens ea virtute; ob eam rem non eſt neceſſe vt primum*

mouens tangat id quod mouetur ab ipso vsque in finem generationis. Verum doctrina est falsa. Falsum enim est, alia esse instrumenta operantia per virtutem receptam intentionaliter: alia per virtutem receptam permanentem, fixam ac sibi connaturalem. Etenim instrumēta, quę operentur per virtutem realem permanentem acceptam ab alio, non dantur: omnia enim operantur per virtutem acceptam intentionaliter, seu per intentionalem influxum agentis principalis concurrentis cum ipso, & per ipsum. Etenim operari per virtutem realem permanentem, & sibi iã connaturalem, receptam ab alio, non est esse instrumentum, neque operari vt instrumentum; sed est operari vt agens principale, & operari per virtutem sibi propriam, & insitã, & iam suam, & non per virtuté alterius, etiamsi illam ab alio receperit. Nam ab alio illam recepisse, vel non recepisse, est impertinens ad rationem instruméti. Neque enim per hoc aliquid est plus, vel minus instrumétum quod virtutem, per quam agit, ab alio acceperit; sed per hoc, quod virtus, per quam agit, non sit virtus sua, sed virtus alterius. nam quod agit per virtutem iam suam, sibi inexistentem & iam propriam (à quocumque eam acceperit parum refert) est agens principale, & non instrumentum illius à quo accepit. Etenim

quæ-

quæcunque operantur, operantur per virtutem ab aliquo acceptam; & tamen non ideo operantur vt instrumentum: & contra multa operantur vt instrumentum alterius, quæ tamen virtutem, per quam operantur, ab illo, cuius sunt instrumentum, non receperunt. Sic securis operatur vt instrumentum fabri lignarij; & tamen virtutem, per quam operatur, non à fabro lignario, sed à ferrario, quæ sunt agentia distincta, recepit. Agere in ratione instrumenti, est agere per virtutem aliquam sibi propriam, sed adiutam ac directam influxu actuali agentis principalis; quo attollitur ad producendum effectum multo nobiliorem, quam virtute propria assequi posset. & ita semper ad actionem instrumenti seu ad agere in ratione instrumenti, requiritur peculiaris & actualis influxus, & consequenter præsentia agentis principalis. Hoc bene docet Ferrariensis commento super caput 21. libri 2. D. Thomæ contra gentes. Etenim, inquit, etiamsi sint diuersa genera instrumentorum, in hoc tamen omnia conueniunt, quod non moueantur nisi mota à causa principali. Non enim, inquit, essent instrumenta, si per seipsa tantum operarentur. Agens enim, inquit, instrumentale exequitur actionem principalis agentis,

per actionem aliquam propriam ſibi. Ideo enim, inquit, adhibetur inſtrumentum, vt influentia principalis agentis perueniat per inſtrumentum ad illud, quod ab ipſo inſtrumento eſt cauſatum. Porro ſi agere per virtutem realem permanentem, ſibi intrinſecã, & ab alio acceptam, eſſet agere in virtute illius, & vt inſtrumentum eius; ſequeretur quod omne agens mundi eſſet inſtrumentale, & quod omne agens eſſet inſtrumentum illius, à quo virtutem, per quam agit, recepiſſet: & conſequenter, quod vnumquodque eſſet inſtrumentum cauſæ, à qua eſſet productum, & à qua vna cum eſſe etiam ſuam agendi virtutem recepiſſet. Omne enim agẽs habet virtutem ſuam ab aliquo: ab illo enim habet virtutem à quo habet eſſe: & ſic ſequeretur, quod cauſæ ſecundæ eſſent inſtrumenta cauſæ primæ, & quod cauſæ omnes accidentaliter ſubordinatæ eſſent inſtrumenta cauſarum ſuperiorum: & quod nunquam agerent in virtute propria, ſed ſemper in virtute earum: & tandem quod nullũ daretur agens principale, præter illud, quod in illo genere eſſet primum, & quod eſſet cauſa cauſarum omnium: & quod pater non eſſet cauſa principalis filij ſui, ſed ſolum inſtrumentum aui; & auus proaui, & tandem omnes homines inſtrumentum Adami; & quod ſolus Adamus eſſet

esset causa principalis generationis omnium hominum: & quod homines qui secuti sunt Adamum, solum essent instrumentum ipsius, & quod generatio filij nunc nascentis nō posset attribui patri sed Adamo; eo quod pater virtutem, per quam filium generaret, recepisset ab auo, auus à proauo, & tandem omnes ab Adamo. Et eodem modo sequeretur quod quando ignis accensus in stupa à radiis Solis accenderet domum, stupa non accenderet domum, sed Sol; nec stupa accenderet domum in virtute propria, sed in virtute Solis, & non vt causa principalis, sed vt instrumentum Solis: eo quod calorem, per quem domū accenderet, à Sole recepisset. Et quando bilis exulceraret intestina, & pituita refrigeraret cerebrum; non facerent ipsæ hoc, sed hepar, & non facerent hoc vt causa principalis, sed vt instrumentum hepatis, à quo suas qualitates recepissent. Quæ omnia sunt absurdissima, & à ratione aliena. Verum obiiciet aliquis authoritatem Aristotelis, locis variis asserentis semen esse instrumentum generātis: & instrumentum valens agere in virtute generantis, ac agentis remoti. Etenim 2. de generatione animalium capite 1. sic ait: *Sed semen, an id quo semen dicamus, nihil refert: scilicet qua motum, quem illud mouebat, semen in seipso continet. Fieri autem potest vt hoc ab hoc moueatur, & hoc ab*

hoc. Fitque perinde , & quasi admirabilia illa spontina. Partes enim habent vim modo quodam etiam cum quiescunt: quamprimum vbi extrinsecus aliquid mouerit, statim proxima actu efficitur. vt igitur in spontinis illis quodammodo illud mouet, quod nihil tunc tangit, sed ante tetigit, sic id à quo semen, aut quod semen efficit , mouet cum aliquid tetigerit : quanquam non adhuc tangit, & motus, qui inest, quodam efficit modo, vt ædificatio ædes. Quibus verbis manifeste videtur dicere semen esse instrumentum generantis, & agere in virtute generantis, & generantem generare, etiamsi sit absens ; per hoc, quod semel mouerit semen, id est semini semel impresserit vim , ratione cuius possit agere in virtute generantis, etiam absentis. Et 1. de generat. animalium cap. vlt. sic inquit; *Ita natura etiam maris semen emittentis , vtitur eo semine quasi instrumento , & actu habente motum, vt in operibus artis.* Et 7. Metaphys. capite 9. comparat eodem modo semen instrumentis spontinis. Verum respondeo; & fateor ex illis locis videri quidem Aristotelis mentem esse, semen se habere aliquo modo per modum instrumenti : sed quid refert mentem eius esse, si non probet eam ; & si argumentum seu exemplum, quod ad probandum assumit, sit impertinens , & inualidum. Tale esse probo dupliciter. Quia
ad

ad probandum, quod ſemen poſſit agere abſente, quieſcente, ac non mouente patre, deberet oſtendi quod in illis machinis vltimæ rotæ mouerent ceſſante mouente primo: at ita non eſt; quia in illis primum mouens perpetuo, & actualiter mouet, & non ceſſat à mouendo. corda enim tenſa, ſeu pondus, quæ ſunt primum mouens, perpetuo trahunt: & ſi ceſſarent à motu vel momento temporis, etiam ceſſarent reliquæ rotæ. Secundo, quia ad probandum ſemen poſſe agere in virtute generantis, deberet oſtendi in illis rotis poſterius mouens mouere in virtute prioris, & vt inſtrumentum illius: at ita etiam non eſt; quia poſteriores rotæ non mouent in virtute priorum, neque mouent, vt inſtrumentum earum, neque illæ ſe habent ad ſe mutuo, ſeu ad primum mouens, ſicut inſtrumentum ad cauſam principalem; ſed ſunt omnes agens æque principale, nec vna mouet in virtute alterius, ſed omnes in virtute propria. Et ſolummodo eſt in iis ordo cauſarum mouentium: quod ſcilicet vna moueat alteram, & prior ſecundam, & ſecunda tertiam, & ſic deinceps: in qua cauſarum ſubordinatione eſt quidem verum vnam eſſe primam, & cauſam cauſarum, & motum poſteriorum, eſſe effectum priorum; imo aliquo modo primi mouentis; ſed

ſed non vt cauſæ principalis. Quando proauus gignit auum, & auus patrem, & pater filium, eſt ibi quoque talis ordo cauſarum, & ſuperior cauſat inferiores, ſed ſuperior tamen non eſt cauſa principalis, neque inferior inſtrumentalis aliarum; ſed omnes in agendo ſunt æque principales. Cum ignis calefacit aerem, aer corpus noſtrum, corpus lectũ, lectus alterius hominis corpus, eſt ibi etiam talis ordo cauſarum; & alia eſt prior, alia poſterior, & prima eſt cauſa omnium. Sed nulla tamen eſt principalis, nulla inſtrumentalis, ſed omnes in agendo æque principales. Idem eſſet ſi decem bacilli ordine ſtarent, & primus trudendo moueret ſecundum, ſecundus tertium, & ſic deinceps. Nullus enim in mouendo eſſet principalior altero, ſed omnes æquales. Hurtadus de Mendoza 2. de generatione, ſectione 6. habens pro certo, & indubitato, vti reuera eſſe debet, nullum inſtrumentum poſſe agere in virtute abſentis, & non exiſtentis; vt euaderet argumenti difficultatem; dixit ſemẽ operari in virtute animæ matris, eo quod illa ſit præſens, & ſic poſſit actualem ſemini concurſum præſtare. Verum fallitur variis de cauſis. Primo, quia etſi quidem anima matris in pluribus animalibus non ſit valde à ſemine remota tempore conformationis; eſt tamen nihilominus adhuc remota; & eſt tam remota,

quod

quod saltem nullum possit semini concursum præstare; eo quod semen dum formatur à corpore, & vtero matris, adhuc multis sordibus, & membranis intermediis sit separatū. Secundo, quia ad hoc vt posset anima matris concurrere ad conformationem, non sufficeret quod ipsum semen deforis solum tāgeret, quodque Vterus semini esset contiguus; sed deberet ipsa anima matris semini esse intrinseca, quo sic vndique, & ad intimas vsque seminis partes conformandas posset pertingere, iisque virtutem suam, atque influxum præstare. Tertio, quia non raro fit seminis cōformatio matre non præsente: vt cum oua excubantur in furno, vel cum oua pauonis à gallina excubantur, matre, quæ ea genuit, extincta: quo casu constat matrem nullum ad conformationem influxum præstare.

Probo conclusionem tertio. Si esset principium actiuum conformationis in semine; certum est, quod illud principiū deberet esse in vtroque semine tam maris, quam fœminæ: & consequenter, quod esset duplex tale principium, & duplex conformatrix; vna in semine maris, altera in semine fœminæ. quod quia à Medicis sufficienter est probatum, nolo eorum rationes hic repetere, sed suppono. At videtur absurdum dicere in conformatione seminis duas esse causas efficientes, & duas con-

conformatrices eiuſdem ordinis ſolo numero differentes : ergo nulla ratione dicendum eſt ſemini virtutem conformatricem ineſſe. Minor probatur ; quia ſi eſſent duæ ; vel impedirent ſe mutuo vel commiſcerentur. Si primum ; nunquam poſſet fieri generatio. Si ſecundum ; ſicut ipſæ virtutes commiſcerentur , ita & effectus earum, & ſic ſemper effectus deberet eſſe mixtus, & ſemper fœtus ſemimaſculinus, & ſemifœmininus, & nunquam neque patrem, neque matrem in vllo perfecte referens, ſed ſemper medio modo ſe habens : præcipue quando viribus, ætate, temperamento parentes ſe mutuo æquarent. Accedit quod impoſſibile videatur, quod illæ virtutes ita æquabiliter, ſemper in vnum effectum poſſent conſpirare, quin frequenter deuiarent, & pro vna parte frequenter facerent duas, vel pro duabus vnam. vna ſcilicet cõformatrice in hoc loco, & ex hac parte ſeminis, alia in alio, & ex alia parte eas fabricari conante : & quin tandem frequentiſſimè monſtra in natura euenirent. Hanc conformatricum pluralitatem adeo pro abſurda habuit Auerrhoes 2. Colliget cap. 10. vt ea probare voluerit in ſemine mulieris nullum eſſe principium actiuum, ſed ſolum in ſemine viri. Quia ſi, inquit, etiam in ſemine mulieris eſſet principium actiuum , ſequeretur dari

duas

duas conformatrices; quod, inquit, eſt abſurdum : quia ſi duæ eſſent, non poſſent vnum effectum neque vnum cor producere.

Probo quarto. In adultis eſt aliqua virtus conformatrix. Etenim Galenus libro 1. de ſemine dicit ſe vidiſſe in capite multas, & ſatis magnas venas regeneratas. Sexto methodi capite 5. aſſerit mollia oſſa puerorum coaleſcere poſſe. Denique virtus, quæ dentes deciduos reparat in pueritia ; quæ ſophroniſteras producit in prouecta ætate ; quæ figuram corporis in nutritione conſeruat, ne perpetuo partium mutatione atque incremento varietur ; quæ vbera non permittit creſcere ante debitam ætatem, & creſcere facit illa appropinquante ; quæ in ceruis quotannis cornua regenerat, in arboribus ramos quotannis multiplicat, expandit, & amputatos reſtaurat ; in pauonibus deciduas quotannis plumas certa quantitate, proportione, ſitu, colore, reponit, & pro annis ætatis illas in figura, colore, quantitate, variat, &c. Non eſt alia quam virtus conformatrix. Illa enim ſunt opera facultatis conformatricis. At illa eſt eadem cum ea quæ corpus noſtrum in primo exordio conformauit : illa eſt potentia vitalis, ſicut

&

& actiones vere ſunt vitales. Quare & quæ in primo principio nos conformauit, fuit vitalis. Si vitalis, ergo non fuit aliqua virtus phyſica non vitalis ab anima diſtincta: quod concluſio noſtra adſtruxit. Eſſe eandem conformatricem quæ in adultis facit conformationem cum illa, quæ facit primam in naſcentibus; ſic probatur. Nam, quæ in naſcentibus nobis fecit, quo euaſiſſet? Quomodo, & à quo, & quo tempore, & quare periiſſet? Nunquid eſt eadem virtus, quæ prima germina, primas radices, prima folia, primos ramulos facit in planta naſcente, cum illa quæ eoſdem facit in iam adulta? Quis illam conformatricem dixerit mutari? Aut quo ſigno, quo argumento cognoſcitur mutatio eius? Ridiculum eſt dicere primam ſeminis oſſificationem, membranificationem, carnificationem inceptam eſſe fieri ab vna conformatrice non vitali; & poſtea continuatam ac perfectam fuiſſe ab alia vitali, id eſt, à conformatrice toto genere, à prima diuerſa. Quomodo enim poteſt ſecunda conformatrix ita exacte ac præciſe proſequi filum cõformationis inceptæ à virtute toto genere diſtincta, vt in nullo deuiet, aut erret? Et quomodo poteſt vna cõtinua numero actio, quæ nimirum durat à principio generationis vſque ad finem vitæ, eſſe cauſata à principiis toto

toto genere diuersis? Si virtutes adeo essent diuersæ, necessarium foret & actiones quoque earum specie esse distinctas. Asserere autem conformationem factam in prima nostri generatione, & fientem adhuc perpetuo in nobis adultis esse actiones specie distinctas, nimis ridiculum foret. Accedit, quod si facultas conformatrix mutaretur, deberet ter quaterue (saltem secundum communem de animarum in semen succeßione opinionem) fuisse permutata, & secundum illam debuisset in nobis non duæ, sed quatuor fuisse conformatrices: vna scilicet, ac prima, quæ fuisset in semine; secunda, quæ secuta fuisset animam vegetatiuam, quam primum asserunt in semẽ induci; tertia, quæ sensitiuam; & vltima, quæ sequeretur essentiam animæ rationalis. Quæ enim conformatrix vnius animæ essentiam sequitur, non potest perseuerare, neque in existendo neque in agendo superuentu alterius. Conimbricenses 1. de generatione & corruptione capite 4. quæstione 26. dicunt duplicem esse generatiuam, ac formatricem, vnam in generante, alteram in semine. In generante dicunt esse generatricem & conformatricem primariam ac vitalem; in semine quandam aliam non vitalem, vicariam tamen illius primæ; nihilominus tamen ab illa specie distinctam. In adultis fatentur aliquam

H esse

esse conformatricem, quæ edat opera superius à nobis commemorata; verum illam dicunt non esse illam eandem quæ fuit in semine: quia, quæ fuit in semine, non est vitalis; quæ vero in adultis est vitalis; sed dicunt esse eiusdem rationis cum illa primaria, quæ erat in generante. Sed hæc sunt absurda: quia falsum est, illam conformatricem, quæ est in adultis, esse eiusdem rationis cum illa primaria, quæ est in generante: quia illa primaria, quæ est in generante, est vera potentia generatiua, & non est alia quam spermatifica, vt infra ostendemus: at conformatrix quæ est in adultis, non est talis; quia non est potentia generatiua. Potentia enim generatiua, est potentia productiua alterius indiuidui similis in specie, & exoritur, atque efflorescit primum decimo quarto anno ætatis, & residet in testibus: hæc est perfectiua sui proprij corporis, & est nutritiua; à generatiua, ac spermatifica distincta, & viget etiam in pueris recenter natis; primo, tertio, quarto decimo anno ætatis, & residet non in testibus, sed per totum corpus est diffusa.

Quinto. Si in semine esset principium actiuum conformationis, seu generationis,

vt

vt alij confundunt, ſemen ageret in ſeipſum: at nihil agit in ſeipſum, vt docet Ariſtoteles 1. de generatione, & corrupt. capite 7. Ergo. Quia, ſi aliquid ageret in ſeipſum, eſſet agens, & patiens, actu & potentia reſpectu eiuſdem, quod eſt impoſſibile. Secundo, quia eſſet deſtructiuum ſui ipſius, & maxime ſemen: quia illa actio eius tenderet per ſe ad deſtructionem ipſius. tenderet enim ad generationem viuentis, quæ fieri non poteſt abſque ſeminis deſtructione. Scotus in 2. ſententiarum, diſtinct. 18. in fine, poſtquam dixiſſet ſemen non eſſe principium actiuum vltimæ formæ, ſcilicet animæ rationalis; quærit an ſaltem poſſit eſſe principium præuium alteratiuum corporis organici, quod generatur, & concludit quod non. & inter alias ponit hanc rationem; quia, inquit, ſequeretur hoc abſurdum, quod aliquid ageret in ſeipſum: quod argumentum tanti fecit, vt eo coactus dixerit pro inueniendo principio conformationis ad virtutem diuinam ac cæleſtem eſſe confugiendum. Ad ſaluandum hoc argumentum ſolet communiter reſponderi in ſemine eſſe diuerſas ſubſtantias; vnam tenuem & ſpirituoſam, aliam craſſam, & terreſtrem: in illa reſidere virtutem actiuam; hanc eſſe materiam, & principium paſſiuum:

& illam virtutem actiuam ex ſpirituoſa parte agere in partem ſeminis craſſiorem tanquã in materiam; & hac ratione vnum & idem nõ agere in ſeipſum, ſed in diuerſa: nec vnum & idem habere rationem principij actiui & paſſiui reſpectu eiuſdem, ſed ſolum reſpectu diuerſorum; quod non eſt abſurdum. Actiuum illud principium ſeu illam virtutem reſidere in ſpiritu ſeminis docet Ariſtoteles 1. de generatione, capite 3. his verbis: *Ineſt in ſemine quod facit vt fœcunda ſint ſemina, videlicet, quod calor vocatur, idque non ignis, non talis facultas aliqua, ſed ſpiritus qui in ſemine ſpumoſoque corpore continetur, & natura quæ in ſpiritu eſt reſpondens elemento ſtellarum.* Idem docet D. Thomas 1 parte quæſtione 118. articulo 4. ad 3. his verbis: *Et ideo non oportet quod illa vis actiua habeat aliquod organum in actu, ſed fundatur in ipſo ſpiritu incluſo in ſemine, quod eſt ſpumoſum, vt teſtatur eius albedo.* Quæ eadem dicit 2. contra gentes capite 89. & nonnullis aliis locis. Verum ſolutio non valet, & in rei veritate non eſt niſi mera euaſio inuenta ad argumenti eluſionem. Quia non eſt verum talem virtutem in ſpiritu ſeminis reſidere. Quod probatur primo: quia ſpiritus qui in ſemine eſt, vel eſt pars eſſentialis eius vel non eſt: ſi eſt, ſequeretur vnã partem eſſentialem alicuius entis eſſe deſtructiuam alterius partis

eſſen-

essentialis eiusdem; hoc esse non potest: primo, quia infinitæ inueniuntur res in mundo constantes diuersis,ac heterogeneis partibus, in quibus tamen non videtur vna vnquam destruere alteram, seu vna esse ordinata ad destructionem alterius Etenim si vna esset ordinata ad destructionem alterius, sequeretur quod esset ordinata ad destructionem totius, & consequenter suiipsius. vna enim parte essentiali destructa totum destruitur. At contra est: quia partes essentiales vnius entis nõ sunt comparatæ ad pugnandum inter se, seu se mutuo destruendum,sed vt concordi nexu colligentur, & amica vnione valeant formam sustentare: & forma vicissim comparata est, vt partes illas teneat vnitas, & regat, ne à se mutuo secedant, vel se mutuo destruant. Nisi enim ita esset, nunquam posset forma in rebus heterogeneis vel ad minimum tempus subsistere,ac permanere. Accedit, quod actio omnis promanet ab ente toto, & ab ente perfecto, & à supposito; partes autem essentiales vnius entis, non sunt ens totum neque ens perfectum nec suppositum:& ita per se non agunt. Si non esset pars essentialis seminis; sequeretur quod illa virtus non esset in semine, nisi vt in continente, & vt in loco, & quod non esset in semine,sed in aliquo alio corpore in semine contento; & quod semen

non esset vnum ens per se, sed aggregatum ex diuersis entibus & ens vnum per aggregationem & non per essentialem compositionem: quod est absurdum. Secundo, si virtus illa resideret in solo spiritu, & non in toto semine; hoc natura non fecisset propter aliam causam, quam quia in vna, & eadem substantia non posset esse principium actiuum, & passiuum simul: si ergo propter illam causam esset in spiritu; sequeretur quod propter eandem deberet quoque esse in spiritu seminum reliquorum omnium viuentium: at non est in spiritu seminis piscium, auium, & plantarum, quare neque in spiritu seminis aliorum animalium. Minor probatur: quia in ouis auium quæ habent rationem seminis, & in seminibus piscium & plantarum, nulla talis est substantia spirituosa. Nam quæ substantia spirituosa est in albumine oui natura frigido, & humido, & iam ab aere ad multos dies actuali frigiditate refrigerato? Quæ substantia spirituosa est in seminibus plantarum iam diu in scrinio custoditis & exiccatis, & interim adhuc fœcundis? Tertio, ad hoc vt illa virtus posset esse principium actiuum conformationis, aut generationis, deberet inesse tali substantiæ, quæ semini maxime

esset

esset intrinseca eique essentialiter vnita; quo in omnes eius partes agere eisque firmiter adhærere, ab eisque nunquam recedere ac diuelli posset: at spiritus non sunt semini sic intrinseci, nec sunt semini essentialiter vniti. Ergo. Etenim propter suam tenuitatem & fluxibilitatem non possunt substantiæ seminis sic vniri, intrinsecari, atque adglutinari, quin possint ab ea semper auolare. Et de facto non esse sic vnitos & intrinsecatos, ex eo patet; quod quam citissime in aerem euanescant, & suo recessu relinquant semen aqueum, albedine sua destitutum, & infœcundum: quod non esset, si ei essentialiter vniti, & penitus essent intrinsecati. Quarto. Virtus illa quæ nos in primo vitæ exordio formauit, primamque carnem, ossa, neruos produxit, est absque dubio illa eadem quæ adhuc nunc aliquando in nobis partes deciduas reponit, & nondum genitas producit, vt iam ostensum est.

Prima itaque illa remansit in nobis. sed remanere non potuisset, si in spiritu seminis residentiam suam habuisset: quia spiritus seminis in nobis non remansit (supponit enim hæc opinio spiritum esse agens, & non materiam). sed auolauit & periit, ac cum eo virtus eius; nisi

dicamus migrasse de subiecto in subiectum, & ex spiritu seminis transiisse in substantiam membrorum corporis nostri, quod est absurdum. Verum obiiciet aliquis; si non est principium actiuum in semine, & si non est in eo virtus aliqua decisa à parentibus, quæ sit instrumentum eorum: ergo parentes non vere, & actiue generabunt; quia non generabunt neque per se immediate neque per aliquam virtutem vicariam sui: sed solum generabunt passiue & materialiter, quatenus subministrabunt materiam generationis, nempe semen, in quo non erit aliud principium quam passiuum, hoc est absurdum. Ergo. Secundo, quia sequetur fœminam magis concurrere ad generationem mare; quod est præter omniũ tum Medicorum, tum Philosophorum sententiam; quia neuter præstaret principium actiuum: de passiuo autem plus præstaret mulier, quam vir. Quia præterquam, quod præstaret eodem modo semen sicuti vir; etiam præstaret menstruum, quod est altera pars principij passiui; & insuper præstaret locum generationis, nempe vterum. Ad primum respondeo, negando assumptum. Vere enim & actiue generabunt, per hoc, quod subministrabũt semen, seu materiem generationis, eique impriment dispositiones omnes ad animæ introductionem necessarias. Conformationis

equidem

equidem actiuum principium non præstabūt; neque vt præstent, ad hoc vt dici possint vere & actiue generare, est necessum. Quia conformatio ad hoc vt fiat generatio, non est necessaria; neque est dispositio ad eam, neque est ipsa generatio; vt infra ostendemus, sed est actio posterior generatione, & actio spectans ad officium geniti, & non ad officium generantis. Si conformatio esset ipsa generatio, vel dispositio præuia generationi; tunc parentes ad hoc vt dici possent vere generare, deberent conferre aliquod principium actiuum illius: generans enim ad minimum debet conferre omnes dispositiones necessarias: at nunc cum neutra sit, minime, per hoc vere, & effectiue generant, quod producant semen, & in eo omnes dispositiones vsque ad animæ introductionem exclusiue necessarias. Animam enim propter suam excellentiam attingere non possunt; quia illa à Deo infunditur: id est, per hoc generant, quod producant semen, quod est viuens in proxima potentia, & tam propinqua, vt nullæ vlteriores ad formam ei desint dispositiones, sed solum vt loco, & tempore conueniente, nempe in vtero fœmineo, ad actum educatur. Ad secundum dico; nihil absurdi esse, si hoc admittatur. Nam quid miri est fœminā, quæ à mare tot nobilissimis animæ actioni-

bus ſuperatur, ipſum in aliqua, nempe in generatione ſuperare? Equidem quæcumque opinio teneatur, omnino neceſſum eſt fateri fœminam marem in actu generationis longe ſuperare; cum præſtet æquale ſemen cum ipſo, & inſuper conferat menſtruum & locum, & vim ſeminis actuatiuam, & ſpiritus, & calorem, & poſt natiuitatem, nutrimentum vſque ad dentium generationem, vt iam ſæpius dictum eſt, quorum nihil mas facit. Nihilominus tamen, vt ne malam gratiam incurram virorum, qui infamiæ adſcribi iudicarent, in aliquo, & præſertim in illo actu, qui naturaliſſimus eſt omnium viuentium, à muliere ſuperari; reſpondere aliter poſſum; eatenus nimirum marem magis concurrere ad generationem fœmina, quod ipſe nobiliorem qualitatem, ac nobiliorem ſemini ſuo impertiatur diſpoſitionem quam fœmina, eo quod & eius temperamentum ſit longe calidius, & eius ſexus longe fœmineo præſtantior. Quo ſolo alia omnia quæ à muliere præſtantur, facile compenſantur.

Ad argumenta in contrarium reſpondeo. Ad primum, in ſemine, vt ſemen eſt, & ante conceptionem, ſeu vt eſt in teſtibus, non eſſe conformatricem, ſed ſolummodo poſt conceptionem, & cum iam eſt animatum. Tum autem non eſt amplius ſemen, ſed embryo;

bryo; & illa conformatrix quæ eſt in ipſo, non eſt vlla virtus impreſſa ſemini à teſtibus, neque eſt virtus vicaria generatiuæ, aut inſtrumentum eius; ſed eſt potentia animæ in ſemen introductæ; qua anima poteſt ſubiectum ſuum conformare, & ad ſtatum perfectum viuentis ſeu animalis perducere. Ad confirmationem reſpondeo: eſt quidem potentiæ generatiuæ producere ſimile in ſpecie, id eſt producere aliquid cum omnibus diſpoſitionibus ad generationem, ac vt ſimile in ſpecie reſultet, requiſitis. (Ipſam enim eſſentialem generationem ſimilis in ſpecie generatiua parentum non attingit; eo quod anima à Deo creetur, & infundatur) ſed non eſt officium eius illam materiam conformare, & immutare, id eſt ad formam, oſſis, carnis, nerui, &c. conuertere: quia illæ non ſunt actiones ad generationem faciendam requiſitæ, neque actiones generationi præuiæ, ſed generationem iam factam ſequentes, & ea poſteriores, & ſpectant ſolummodo ad animam geniti; & non ad animam, ſeu virtutem generantis. Ad ſecundam confirmationem reſpondeo, negando minorem: quia conformatio & immutatio non ſunt ipſa generatio, ſed actiones, vt iam dixi, generatione poſteriores.

QVÆSTIO VII.

An anima semini post conceptionem adueniens, sit efficiens Conformationis.

VIdetur quod non : primo. Conformatio, seu organizatio est prior animæ introductione : ergo anima introducta non est efficiens eius : posterius enim non potest esse efficiens prioris. Antecedens probatur. quia omnium Philosophorum consensu, organizatio est dispositio necessaria ad animæ introductionem : dispositio autem ad formam necessaria, est prior, forma introducta. probatur authoritate Aristotelis, qui 2 Physicorum textu 6. definiens animam dicit eam esse actum corporis organici ; quibus verbis videtur ostendere organizationem esse dispositionem necessariam ac præuiam ad eius introductionem ; & in eo sensu explicant illam definitionem plerique omnes.

Secundo. Virtus conformatrix est in semine, vt conclusione 3. est constitutum; at cum semen adhuc est semen, nulla est adhuc anima in ipso. Nam cum iam anima est introducta, non amplius est semen, sed embryo, atque

animal :

animal: ergo conformatrix eſt in ſemine, antequam anima ſit in eo; & conſequenter anima non conformat.

Tertio. Si anima ſemini adueniens eſſet efficiens conformationis, eſſet etiam efficiens alterationis, & immutationis quæ in ſemine fit: illius nimirum, qua ſemen in os, carnem, neruum, &c. conuertitur. at illius efficiens eſſe non poteſt: ergo nec conformationis. Minor probatur: quia ſi eſſet efficiens illius, ageret in ſuam materiam; at hoc eſſe non poteſt; quia anima eſt forma; forma non gerit cauſalitatem efficientem erga ſuam propriam materiam, ſed ſolum formalem. Ergo. Secũdo, ſi anima ſic ageret in ſuam materiem, deſtrueret eã: finis enim actionis eſt deſtructio prioris ſtatus, & introductio noui, & ſic deſtrueret ſeipſam. at formæ non eſt deſtruere ſuam materiam, ſed perficere: eſt enim corporis ſui Entelechia ſeu perfectio. Ergo.

Quarto. Si anima ſemini adueniens conformaret ipſum, faceret hoc per aliquam potentiam ſuam; ſed non poſſet facere per aliã, quam per generatiuam: conformatrix enim eſt ſpecies generatiuæ, vt docet Galenus 1. dè facultatibus natur. capite 6. generatiuæ enim eſt conformare: ſed non facit per potentiam generatiuam; quia illa adhuc in ſemine non eſt: potentia enim generatiua reſidet

in teſtibus; in ſemine recenter animato, adhuc non ſunt teſtes; ergo per nullam. Denique, quia potentia generatiua primum incipit efflorescere anno decimo quarto ætatis, ac in iam adultis, vt eſt manifeſtum; ſemen recenter animatum, ſeu tenellus embryo, non habet eam ætatem, neque iam eſt adultus. Ergo. Denique; quia potentia generatiua non eſt productiua ſui indiuidui, ſed ſolum alterius ſimilis in ſpecie: at cum ſemen aut tenellus iam embryo conformatur, non producitur ſuum indiuiduum, neque producitur ſimile in ſpecie; ſed ipſum indiuiduum iam productum, ſolum perficitur. Ergo.

Quinto. In ſemen variæ ex ordine introducuntur animæ, vt docet Ariſtoteles 2. de generatione capite 3. & D. Thomas parte 1. quæſtione 76. articulo 3. ad 3. Primo enim introducitur vegetatiua, inde ſenſitiua, inde rationalis. Itaque ſi anima introducta conformaret; conformaret illa, quæ primo introducitur, nempe vegetatiua. Atqui illa breui deletur, & ſuperuenit ſenſitiua; & poſt illam ſtatim rationalis. Poſtquam ergo vegetatiua incepit conformare, illa deleta, quid tunc vlterius conformat? Certum enim eſt facta prima rudi conformatione non ſtatim ceſſare conformationem, ſed toto tempore, quo fœtus eſt in vtero, durare, ac paulatim

latim magis, magiſque ipſum perficere. Etenim vegetatiua deleta, eius conformatrix non facit illam amplius. deleta enim anima delentur potentiæ eius: certum enim eſt ipſas ſeparari ac de anima in animam tranſire non poſſe. Ergo neceſſum eſt vt vlteriorem faciat ſenſitiua, & illa deleta, rationalis. At hoc videtur abſurdum: quia non videtur poſſibile vnam numero conformationem fieri poſſe á tribus potentiis ſpecie diſtinctis; ſeu potentiis trium animarum ſpecie diſtinctarum: vel tres animas ſpecie diſtinctas poſſe habere inſtinctum eodem modo conformandi, vel inceptam à prima conformationem parili lege, ac tenore proſequendi, ac perficiendi. videtur enim neceſſarium eſſe tres animas ſpecie diuerſas debere habere diuerſos inſtinctus conformandi, & vnam non poſſe habere inſtinctum eodem modo conformandi ſicut alia. Secundo, ſi vegetatiua primo conformaret; conformaret in ordine ad introductionem ſenſitiuæ; & hæc in ordine ad introductionem rationalis: at videtur impoſſibile eas conformando in ordine ad animas diuerſas, poſſe conformare eodem modo: & poſteriorem præciſe poſſe proſequi filum conformationis inceptæ à priore. Denique à ratione alienum videtur vegetatiuam poſſe

confor-

conformare in ordine ad introductionẽ sensitiuæ; & sensitiuam in ordine ad introductionem rationalis; quia vnaquæque deberet potius conformare in ordine ad animam sui generis: & vegetatiua deberet potius conari ad productionem figuræ conuenientis sibi, & suis actionibus, & ad productionem figuræ plantalis, & sensitiua ad productionem brutalis, quam alterius. Ergo.

Sextum argumentum quod adfert D. Thomas 2. contra gentes capite 89. est: Si anima introducta conformaret, sequeretur aliquid generare seipsum: hoc est absurdum. Ergo.

CONCLVSIO octaua. Efficiens conformationis; est anima semini post conceptionem aduenienS.

Hæc conclusio est etiam paradoxa, sed verissima. Et probatur triplici via; ratione, experientia, & authoritate. Sumpto à ratione argumento, omnium efficacissime probatur negatione omnium aliarum causarum, quæ vel possunt excogitari, vel à quoquam sunt excogitatæ. Non enim Deus est efficiens conformationis; non intelligentia; non anima mundi; non vterus; non anima parentum; non anima seminis; non alia virtus seminis; ergo anima introducta. Quæcunque opinio teneatur, omnes inuoluunt maximas difficultates, & absurditates, vt iam septem conclusionibus

ſionibus eſt oſtenſum: hæc ſola iis non eſt obnoxia. Ergo.

Probatur ſecundo. Efficiens conformationis, & immutationis eſt aliqua anima; non eſt anima parentum, neque immediate, neque mediate, vt eſt oſtenſum; non anima ſeminis; quia ſemen non eſt animatum, vt quoque eſt oſtenſum; ergo anima poſtmodum ſuperueniens. Maior probatur. Conformatio eſt vera actio vitalis; ergo fit à principio vitæ, atque ab anima. Secundo, eo ipſo tempore quo fit conformatio fit etiam auctio, & conſequenter nutritio: vera enim auctio ſupponit nutritionem. Etenim embryo die vndecimo, eſt inſtar grani hordei; die vigeſimo, magnitudine apis; die quadrageſimo, inſtar minimi digiti, &c. Ergo fiunt illæ actiones ab vno, & eodem principio. Sed nutritio, & auctio ſunt actiones vere vitales, & fiunt à principio vitæ: ergo & conformatio. Confirmatur. Ab eodem principio nutritur & augetur embryo primis decem diebus, quo die vigeſimo; & die vigeſimo, quo die trigeſimo; & eodem die trigeſimo, quo nono menſe; & eodem nono menſe, quo toto reliquo tempore vitæ; & omnes illæ nutritiones ſunt vna atque eadem numero nutritio, continuata à principio vitæ vſque ad finem. Sub finem vitæ & toto vitæ decurſu fiunt illæ nutritiones

ab anima; ergo etiam primis vitæ diebus. Nam si fierent à diuersis specie principiis; non esset eadem specie actio, neque vna actio continua, sed diuersæ: hoc est absurdum. Ergo.

Probatur etiam sensu & experientia. Etenim in plantis est manifestum conformationem fieri ab anima introducta. Nam tam cito quam semen, faba, pisum incipiunt germinare, absque dubio iam sunt animata, & anima iam est introducta. Tunc autem fere adhuc nulla germinis illius est facta conformatio, sed postea fit: paulatim enim tum radix, rami, folia, caudex, flores producuntur, & conformantur. Ergo anima iam introducta conformat ea. Confirmatur. In illa actione naturæ non fit conformatio totius fabæ aut castaneæ, quæ non est animata; quia illa sæpe pro maiore parte putrescit in terra, vel conuertitur in alimentum germinis; sed conformatur solum illud nouum germen quod iam viridescit, estque animatum, reliqua parte fabæ vel castaneæ remanente informi. Ergo est anima quæ conformat illud. Quia si vel anima seminis, seu virtus aliqua actiua semini inexistens conformaret; conformaret vtique totum semen: hoc non fit; nam totum semen manet informe, ac solummodo attrahitur & absorbetur per

modum

modum alimenti in ipſum germen; ſed ſolum in vno puncto ſeminis incipit fieri conformatio; nimirum in illo in quo anima incepit educi, & pullulare. Ergo.

Probatur quoque vltimo authoritate: nam etſi authores in re tam ardua omnes ſint confuſi & obſcuri, nec manifeſte & aperte exprimant ſententiam ſuam, ſed diuerſis locis diuerſa ſcribant; nonnullis tamen videntur dubitaſſe an anima introducta ſit efficiens conformationis: imo aliquibus videntur aſſerere. Galenus libro de fœtus formatione capite 17. dubitat an ipſa efficiens cauſa conformationis ſit aliqua anima necne; & an ſit anima introducta, necne; & videtur inclinare in hoc quod ſit anima introducta: & probat ex eo; quod puer mox natus, & animalia omnia ſciant vti ſuis membris ad eos vſus, ad quos à natura ſunt comparata. Nam quomodo, inquit, poſſit alioqui anima cognoſcere vſum omnium, ſi ipſamet ea non conſtruxiſſet. ſed audiamus verba eius. *Hæc ſane*, inquit, *ipſa oſtendere videntur animam partibus vtentem noſſe ipſarum vtilitatem; vt quæ ipſa illas conſtruxerit, & non ab alio factis vtatur.* Et capite 19. eiuſdem libri ſic inquit: *Et videtur ſane iuxta hanc rationem in animantium corporibus, adhuc ipſa anima*

permanere, quæ partes eorum finxit, & formauit. non enim possibile est eam quæ nunc adest singulis partibus conuenienter vti, perire autem illam quæ eas exstruxit. Et capite 21. etsi opificem dicat se ignorare; *Probabile tamen,* inquit, *maxime opinor, opificem, quisquis tandem is est, aut ipsam adhuc in efformatis partibus manere, aut animalia ipsas partes fecisse, vt quæ cognoscant voluntatem principalis nostræ partis.* Et capite 5. libri, cui titulus est, an animal sit quod in vtero continetur, quicumque demum author sit, sic habetur. *Et perspicuum est vna cum iacto in vterum semine, insitam à Creatore vniuersi animam esse vt gubernandi vim corporis habeat.* Aristoteles nonnulla quoque in eundem sensum dicere videtur, 2. de generatione capite 3. late disputans de causa efficiente conformationis ponit hæc verba. *Sed à quo partes corporis nostri generentur quærimus: aut enim extrinsecus aliquid, aut in genitura, & semine insitum agit; idque aut pars aliqua animæ, aut anima, aut habēs animam est. Sed ab aliquo extrinsecus agente effici quæque aut viscera, aut alia membra remotum à ratione est. Fieri enim non potest vt moueat quod nō tangit, & quidquam ab eo quod non moueat afficiatur. Igitur in ipso conceptu aliquid iam inest, quod aut pars eius sit, aut seorsim contineatur: sed aliud quicquam iam esse abiunctum, irrationale est. Etenim generato iam animali corrumpaturne illud an*

maneat.

maneat. At nihil inesse videtur quod non totius pars sit, aut plantæ, aut animalis. Quin etiam corrumpi postquam vel omnes, vel aliquot partes effecit, absurdum est. Quid enim efficiat reliquas. Nam si illud postquam effecerat cor, interijt; cor autem ipsum partem aliam efficit, eiusdem rationis est, vt vel omnia intereant, vel omnia seruentur. Ergo seruari necessum est. Pars igitur eius est id quod protinus in semine inest. (Id est conformans principium quod semini inest) *sed nihil animæ est, quod non aliqua in parte sit corporis, ut animata quoque protinus pars sit, consequitur.* Quibus verbis indicat primum illud principium cōformans animam esse vel animæ partem, & illud non mutari, sed permanere idem; atq; idem esse quod cor formauit, & formato corde formauit reliqua membra; ex quo satis manifeste colligi potest illud esse animam introductam. Idem dicit 2. de generat. animal. capite 3. Etenim ibi agens de causa conformatrice, dicit illam esse vegetatiuam, & eādem esse vim quæ in plantis & animalibus postea facit nutritionem, & incrementum, cum illa quæ fœtum in principio constituit. Et adfert rationem: quia, sicut, inquit, est eadem materia ex qua augetur, & ex qua constituitur primum (quam communiter putat menstruum esse) ita, inquit, est eadem facultas agens. Cum ergo quæ nutrit, & au-

get, sit vegetatiua, sequitur eandem quoque esse quæ generat; nempe vegetatiuam. verba eius sunt hæc. *Et quemadmodum quæ arte efficiuntur, sed verius dixerim per motum eorum, qui artis operatio est, ars autem forma eorum quæ efficiuntur, est in alio: sic à facultate siue virtute animæ vegetali agitur, vt quæ in animalibus ipsis, & plantis postea ex alimento vis eadem efficit incrementum, vtendo caliditate & frigiditate quasi instrumentis. motus enim in ijs consistit, & ratione aliqua vnumquodque efficitur, sic etiam principio constituit id quod natura efficitur. Eadem enim materia est ex qua augetur, & ex qua constituitur primum. Itaque facultas quoque agens eadem, quæ principio est, sed maior.* Auicenna porro libro 16. de animalibus capite 1. sic inquit. *Et postquam illud coagulum fuerit animatum, mouebitur anima in illo ad complendum membra.* Alexander Aphrodisæus 2. quæstionum naturalium capite 25. dicit organicum corpus esse organicum ab anima, & animam præexistere organizationi. Themistius libro 1. de anima capite 22. habet hęc verba: *Anima fabricatur architectaturque sibi domicilium, & accommodatum instrumentum.* Marcilius Ficinus in Timæum Platonis: *Priusquam,* inquit, *adultum sit corpus, anima tota in illius fabrica occupatur.*

Ad argumenta in contrarium allata respon-

respondeo. Ad primum : nego antecedens, & dico; organizationem non esse dispositionem præuiam ad animæ introductionem, neque anteriorem animæ introductione sed posteriorem : vti mox ostendemus, vbi ad alia argumenta responderimus.

Ad secundum dicò : Quando dictum fuit conclusione septima vim conformatricem esse in semine, solum ibi fuit dictum & solum fuit intentio dicendi, ipsam non esse externam sed internam ; non sumendo ibi nomen seminis proprie prout est in testibus, & ante conceptionem, seu vt est vere & formaliter semen, sicut ibi quoque diximus ; sed vt est post conceptionem, & cum iam est animatum : quo tempore etsi non sit vere semen, sed embryo, potest tamen vocari semen, quia est materia seminalis & immediate ante fuit semen, & adhuc quoad qualitates externas non differt à semine. Non enim fuit illo loco adhuc tempus statuendi an conformatrix esset virtus animæ introductæ necne : sed suffecit indicare non esse externam, sed internam ; non considerando an esset in eo quod vere adhuc est semen ; an in eo quod immediate ante fuit.

Ad tertium respondeo, negando minorem,

Ad probationem dico: formã non posse agere in suam materiam actione corruptiua, sed bene actione perfectiua. Tum autem forma non destruit suam materiam, sed perducit ad perfectionem. Non potest forma agere in materiam iam complete habentem dispositionem necessariam, ad sui sustentationem, atque ad omnes suas actiones; verum in non habentem complete, & in illam quæ solum habet dispositionem rudem, imperfectam, & talem, quæ non possit sufficere ad perfectam formæ sustentationem aut edendas omnes eius actiones, & quæ solum habet dispositionem inchoatiuam, & quæ sit solum via ad perfectam, & ordinata naturaliter ad illam; in illam dico potest agere, & illam perficere, & tamdiu agere quousque omnem perfectionem naturæ suæ conuenientem sit adepta. Et hoc non est gerere causalitatem efficientem erga suam materiam, sed formalem. Causalitas enim efficientis est destructiua, & tendit ad destruendum illud, in quod fit actio; causalitas vero formalis tendit ad perficiendum. Etenim ratio causæ formalis non solum consistit in informando, aut in dando esse materiæ, sed etiam in dando ei perfectionem necessariam ad sui in materia sustentationem, & conseruationem. Quam actionem formæ in materiam, etsi non ita videre sit in

aliis

aliis formis naturalibus, in anima tamen apparere propter eius nobilitatem, atque excellentiam & diſpoſitionum ſe mutuo ordine ſequentium varietatem, quas diuerſæ eius requirunt actiones, & quas nullũ aliud agens ita inducere valet, mirum non eſt. Et ſic videmus de facto animam etiam in nobis iam natis & adultis corpus ſuum adhuc polire, perficere, nutrire, & ad maiorem quantitatem perducere, & partes nouas non ante genitas adhuc creare.

Ad quartum reſpondeo, facit hoc per aliquam potentiam ſuam, nempe conformatricem. Verum illa non eſt ſpecies generatiuæ, vt infra oſtendemus: ſed vel eſt ſpecies vegetatiuæ in generali ſumptæ, contradiſtincta contra nutritiuam, & auctricem; vel ſpecies nutritiuæ generice ſumptæ. De quo infra peculiari quæſtione late ſumus acturi.

Ad quintum dico: nullam introduci præter rationalem: vt proxima quæſtione oſtendemus.

Ad ſextum dico; exinde non ſequi, aliquid generare ſeipſum. iam enim genitum eſt, cum anima eſt introducta; ſed ſolum aliquid genitum perficere ſeipſum, quod non eſt abſurdum. Non enim conformatio eſt ipſa generatio, ſed actio generatione poſterior, & actio viuentis iam geniti: vt ſæpe dictum eſt.

Porro propter argumentum primum, quod præcipuum est eorum quæ contra conclusionem possunt afferri, inquirendum est, an organizatio seu conformatio sit dispositio necessaria & præuia ad animæ introductionem necne; seu an anima non possit introduci nisi in corpus iam ante organizatum. Nam si non; vtique conclusio esset falsa & tota libri doctrina corrueret.

Esse necessariam est communis opinio omnium Philosophorum: quam tenent & docent Themistius 2. de anima capite 5. Alexāder Aphrodisæus 2. de anima capite 4. D. Thomas 2. contra gentes capite 89. Henricus de Gandauo in quodlibetis, quodlibeto 15. quæstione 13. Occam 2. de generatione animal. capite 3. Conimbricenses 2. de anima quæstione 4. & plerique omnes tum Medici, tum Philosophi. Et probatur authoritate tum Aristotelis, tum Auicennæ. Etenim Aristoteles 2. Physicorum textu 6. definit animam esse actum corporis organici; quibus verbis videtur indicare corpus antequam fiat animatum prius debere esse organicū, proinde organizationem esse dispositionem necessariam ad eam. Idem dicit 2. de generatione animalium capite 3. his verbis. *Animā igitur vegetalem in seminibus & conceptibus scilicet nondum separatis haberi potentia statuendum est,*

est, non actu, priusquam eo modo quo conceptus, qui iam separati sunt, cibum trahant, & officio eius animæ fungantur. Quibus verbis indicat nō prius animā actu inesse conceptibus, quam possint nutriri, & exercere operationes: at operationes exercere non possunt sine organis; quare ante organa inesse non potest. Auicenna porro libro 16. de animalibus capite 1. sic habet: *Quando cor & cerebrum inueniuntur in fœtu, tum coniungitur cum eo anima rationalis.* Et libro de anima p. 1. capite 5. definit animam esse primam actionem corporis naturalis instrumentalis. & eodem libro de anima parte 5. capite 3. sic inquit. *Anima incipit esse cum incipit materia corporalis esse apta ad seruiendum ei; corpus creatum est regnum eius, & instrumentum eius, & propter corpus illud creatur anima.*

Probatur secundo ratione. Formæ quo sunt nobiliores, & excellentiores, eo requirunt nobiliores dispositiones ad sui introductioné: anima est forma omnium aliarum nobilissima; ergo requirit nobiliorem reliquis omnibus dispositionem ad sui introductionem. At organizatio est dispositio nobilissima, & si illa non requireretur, non daretur dispositio nobilior pro anima, quam pro aliis formis. Ergo.

Tertio. Sine quibus dispositionibus anima non potest conseruari, sine iis verisimile est etiam non posse introduci: alioqui frustra

frustra introduceretur; quia nõ posset cõseruari: sed non potest conseruari sine membrorum organizatione. Nam organizatione grauiter læsa sine vllo alio vitio sæpe perit: ergo neque potest sine præuia organizatione introduci. Confirmatur; anima non potest cõseruari sine nutritione. tamdiu enim, vt inquit Aristoteles libro de respirat. durat nutritio quam vita: nutritio non potest fieri sine organis, vt corde, hepate, venis, &c. ergo anima non potest conseruari sine organis.

Quarto. Sicut forma est apta dare materiæ tum esse tum operationem; ita quoque è cõuerso materia debet esse apta dare formæ sustentationem; sed materia non est apta formam sustentare nisi sit organizata. Ergo. Minor probatur: quia non potest anima sustentari nisi per suas operationes; cessantibus operationibus, vt cessante pulsu, respiratione, nutritione statim exstinguitur: operationes edere non potest nisi mediantibus organis. Ergo.

Quinto; anima est forma partium diuersæ naturæ: ergo oportet partes diuersæ naturæ prius esse constitutas quam ipsa possit aduenire: at habere partes diuersæ naturæ est esse organicum; ergo corpus debet esse organicum, priusquam anima possit aduenire.

Sexto. Si posset anima (quam infra primũ

semen

ſemen ſubintrare dicemus) ſemen ingredi ante organizationem; ſemen iam eſſet vere homo ante omnem organizationem: at hoc eſt abſurdum. Ergo. Minor probatur; quia ſi hoc eſſet verum, ſequeretur, quod daretur homo fluidus, & liquidus; homo, in quo neque eſſet cor, neque cerebrum, neque hepar, neque ſtomachus, neque manus, neque pedes, neque oſſa, neque caro; qui nullam haberet hominis operationem, neque pulſum arteriarum, neque ſenſum vllum ſiue externum, ſiue internum, neque motum, &c. hoc videtur ridiculum, & ænigmaticum; quia nullus eſt in mundo, qui iudicaret talem hominem poſſe reperiri. Ergo.

Verum his non obſtantibus dico, & aſſero organizationem non eſſe diſpoſitionem ad animæ introductionem neceſſariam; quod probo variis argumentis.

Primo; eſſe organicum nihil eſt aliud, quam taliter ac taliter eſſe figuratum; & organizatio nihil eſt aliud, quam talis vel talis modus figuræ in ſubiecto ac variis partibus eius: at figura non eſt diſpoſitio neceſſaria ad receptionem formarum naturalium, ſed ſolum artificialium, vt ſcamni, domus, &c. Ergo neque ad receptionem animæ. Minor probatur. Formæ vel ſunt eſſentiales, vel accidentales; accidentales vel ſunt reales vel intentionales;

nullæ

nullæ earum reperiuntur quæ ad ſui introductionem opus habeant aliqua determinatâ figura. Etenim formæ elementorum, formæ lapidum, metallorum introducuntur in materiam ſine vlla figura. Formæ accidentales reales, calor, frigus, lumen, raritas, denſitas, mollities, durities, grauitas, leuitas, color, ſapor, odor; formæ item intentionales, vt ſpecies colorum, ſoni, odorum, &c. omnes recipiuntur in ſubiectum ſine vlla figura, id eſt ſine eo, quod in ipſo requiratur vlla determinata figura, & ſunt indifferentes ad omnem figuram; ergo neque anima ad ſui receptionem ea opus habet.

Secundo. Si figura eſſet neceſſaria ad formæ receptionem, nō eſſet ob aliam cauſam quam quod partes quantitatiuæ materiæ deberent peculiari modo applicari partibus quantitatiuis formæ: at anima non habet partes quantitatiuas; quia eſt indiuiſibilis, ſaltem humana. Ergo.

Tertio. Si requireretur figura in ſubiecto ad receptionem animæ, requireretur certa, & determinata: non enim omnis diſpoſitio eſt idonea receptioni cuiuſuis formæ, ſed determinata. at neque pro introductione animæ vegetatiuæ, neque pro introductione ſenſitiuæ requiritur vlla figura determinata; ergo neque pro introductione rationalis: eadem

enim

enim omnium eſt ratio. Minor probatur; quia illæ animæ ſunt indifferentes ad omnem figuram, & ſunt ac conſeruantur in ſubiectis cuiuſcumque figuræ. Vegetatiua enim eſt in ſubiectis mille, & decem mille figurarum: eſt in fungis, muſco arborum, thymo, abiete, quercu, & infinitis aliis habentibus ſingulis diuerſas figuras, & diuerſam organizationem. Pariter ſenſitiua eſt in auibus, quadrupedibus, piſcibus, in muſca, ſtruthiocamelo, in mytilis, ſepia, ſpongiis, accipenſere, balæna, in muribus, & elephantis, & infinitis aliis, quæ omnia diuerſiſſima figura prædita ſunt. Ergo.

Quarto. Figura corporum viuentium eſt effectus formarum, eis inexiſtentium; ergo non eſt diſpoſitio præuia ad eas. Sequela eſt manifeſta: quia diſpoſitio eſt anterior forma, effectus poſterior; nihil autē poteſt eſſe prius, & poſterius ſimul. Antecedens probatur. Etenim figura nihil eſt aliud, quam modus quantitatis terminatæ: at forma eſt quæ terminat quantitatem ſui corporis; ergo illa figuram efficit. Confirmatur experientia: quia forma eſt, quæ facit excreſcere animal vel plantam ad determinatam figuram, & determinatam quantitatem. Forma paſſeris facit creſcere paſſerem ad talem figuram, & talem quantitatem; forma ſtruthiocameli introducta in tenerum pullū adhuc implumem

in ouo, eſt illa quæ facit excreſcere ſuum corpus, ad talem figuram & talem quantitatem, & non ad figuram vel quantitatem aquilæ, vel columbæ. Forma cupreſſi facit plantam ſuam excreſcere in talem altitudinem, tali ordine ramorum cum talibus foliis, &c. & non ad figuram rhabarbari, cichorij, & ſic deinceps. Ergo.

Quinto. Si conformatio eſſet diſpoſitio præuia ad animæ introductionem; anima introducta ceſſaret conformatio. Etenim forma introducta ceſſat actio agentis, & omnis vlterior diſpoſitionum productio; quia ceſſat finis eius. At anima introducta illis diebus, quibus communiter aſſerunt introduci, non ceſſat conformatio, ſed durat toto tempore, quo fœtus eſt in vtero. Etenim ſimilitudo indiujdualis, & ſtigmata quæ virtute imaginationis imprimuntur, ſolum imprimũtur hominibus ſexto, vel ſeptimo menſe: & auibus diu poſt animam introductam adhuc primum plumæ miro artificio conformantur. in hominibus iam natis primum conformantur dentes, &c. Ergo.

Sexto. Si organizatio requireretur vt diſpoſitio præuia, non deberet fieri maior, quam neceſſaria eſſet ad animæ receptionem: ſed fit longe maior. Multæ enim partes ſimul organizantur, quæ ad animæ receptionem non

ſunt

ſunt neceſſariæ; vt brachia, pedes, naſus, aures, &c. Ergo non requiritur organizatio ad animæ introductionem ſed ſolum ad exercitium operationum ſuo tempore faciendarum.

Septimo. Formæ nobiliores debent habere diſpoſitiones nobiliores formis ignobilioribus: proinde ſi conformatio eſſet diſpoſitio ad formam, ſeu ad animam; anima ſenſitiua deberet habere nobiliorem conformationem pro ſua diſpoſitione, quam vegetatiua pro ſua; & rationalis, quam ſenſitiua: & quia rationalis infinitis parazangis excellit ſenſitiuam, deberet, quando introducitur, habere diſpoſitionem longe excellentiorem, quam habeat ſenſitiua, cum introducitur: ſed ita nō eſt; quia conformatio pro brutis fere eſt ęque artificioſa, ſicut pro hominibus. Nam eo die quo communiter aſſerunt introduci rationalem, nulla maior in embryone apparet perfectio conformationis, quam appareat in fœtu brutali, eo tempore, quo illi aſſerunt introduci ſenſitiuam; ergo conformatio non eſt talis diſpoſitio.

Octauo. Efficiens conformationis debet eſſe aliqua anima, vt ſupra eſt oſtenſum; eo quod conformatio ſit vera actio vitæ, quæ neceſſario debet immediate proficiſci à principio vitæ, ſeu ab anima: ergo debet eſſe vel

ab anima præinexistente semini ante conceptionem, vel à post aduenıente: vtrumlibet dicatur, habetur intentum. si à post aduenięte, res est clara. si à præinexistente; ergo illa saltem est ante omnem conformationem. Nam, si ipsa est efficiens conformationis: ergo est ante eam; & consequenter, ergo est in subiecto non organizato.

Nono. Anima per se primo est in partibus similaribus & non in organicis. In organicis enim solummodo est, quatenus ipsæ constant similaribus: at similares partes, vt tales, sunt informes, & nulla figura præditæ. Ergo anima est in partibus; non vt sunt figura præditæ, sed alia ratione. Etenim anima non est in osse, vt est pars instrumentalis, seu vt est longum, vel rotundum; sed vt est os: & non est in venis vt sunt longæ, & cauæ; sed vt sunt venæ. Nam, si anima esset in osse, vt est longum, & rotundum; non posset esse in eo quod est planum, asperum, angulosum. At est in omnibus, vt ossa sunt; & vt sunt talis substantia, tali temperamento, & qualitate prædita; & non vt sic vel sic figurata vel conformata. Ergo.

Decimo. Anima in nutritione introducitur in alimentum informe, & nulla præditum figura; ergo figura & conformatio non prærequirũtur ad animæ introductionem. proinde

de ſicut in informe alimentum poteſt intro-
duci; ita & in informe ſemen.

Ad argumenta in contrarium reſpondeo. Ad primum; authoritatibus authoritates oppono: plurimi enim ſunt qui ſanguinem, (inter quos communiter ſunt omnes Theologi) qui ſpiritus, qui ſemen aſſerunt eſſe animata: qui omnes neceſſario fateri coguntur animam etiam ineſſe rebus non organicis; nec requirere ad ſui introductionem vllam conformationem, eo quod in illis nulla ſint organa aut figura. Doctiſſimus à Veiga ſuper cap. 47. artis paruæ. Mercatus lib. 1. Phyſiolog. part. 4. claſſ. 1. in concluſione quæſtionis 98. & Capiuaccius lib. de fœtus format. & nonnulli alij, fatentur animam eſſe poſſe actu in corpore, etſi non organico. Ad definitionem Ariſtotelis ex 2. Phyſicorum allatam, reſpondeo; definitionem illam eſſe obſcuram, & ab omnibus commentatoribus explicari in vario & multiplici ſenſu: non tantum ſecundum ſe totam, ſed etiam ſecundum ſingulas partes ſui; & ideo non deſumi ab ea validum argumentum. Poteſt enim explicari in tali ſenſu, vt nihil obſit noſtræ concluſioni. Simplicius 2. de anima commento 6. dicit animam eſſe actum corporis organici duplici ratione: vna, ſecundum quam corpus effingitur, formaturque, vt inde ſit animæ organũ; &

hac ratione, inquit, anima est actus corporis organici in feminibus. Alia, inquit, ratione, secundum quam vtitur organo iam formato, & secundum quam est actus corporis organici in animalibus iam formatis. Ex quibus verbis colligitur animam posse esse in semine, non iam formato sed formando; & posse dici actum corporis organici per hoc quod sit actus corporis organici in potentia, & non in actu. Ferrariensis 2. contra gentes capite 70. dicit etiam dupliciter posse verbum (organici) intelligi; vel pro corpore habente diuersa organa, complexione, situ, & figura distincta; vel pro corpore quomodocunque ad animam, & operationes dispositio: vt nihil sit aliud corpus organicum, quam corpus habens vitam in potentia, cuiuscunque demum dispositionis ratione id sit. Sic vt vnusquisque & illa, & reliqua definitionis verba interpretetur pro sensu suo. Permanendo autem in sensu communi, respondeo, & dico: Aristotelem ibi definire non animam simpliciter, sed animam in statu suo perfecto. Etenim in statu perfecto, est actus corporis organici; quia tum solum est in statu suo perfecto, quando potest operari: operari autem non potest nisi per organa: & sic debet habere organa. At nude, & secundum suam simplicem essentiam considerata, seclusis operationibus, non est necessa-

necessario actus corporis organici, nisi forte in potentia: sed potest esse actus corporis nō organici. Quia potest secundum suam essentiam esse in corpore non organico, etsi in eo non operetur. Id est: potest esse in corpore non organico secundum actum primū; etiamsi non sit secundum actum secundum. Et sic, cum Aristoteles ponit in definitione verbum (organici,) ponit illud intuitu operationum, & actus secundi; non intuitu actus primi: & definit animam non solum vt est forma essentialis, sed etiam vt est principium effectiuum operationum; & non solum vt est actus primus, sed vt includit actum secundum, qui est perfectio primi: tum enim actus primus est perfectus cum potest elicere secundum. Ex quo patet, organeitatem non esse dispositionem necessariam ad introductionem actus primi; sed solum ad consecutionem secundi: & non esse necessarium subiectum esse organicum, quando anima introducitur, sed sufficere tunc esse organicum, quando debet operari. Si organeitas esset necessaria ad animæ introductionem, deberet equidem præcedere introductionem; & non posset fieri ab anima introducta. Sed quia solum est necessaria ad operationes, quæ fiunt post animam introductam, ideo potest fieri, & sufficit fieri post animam introductam. Sufficit enim tunc

esse factam, quando operationes fieri debent. Dices, anima debet statim, & ipso momento operari, quo est introducta; alioqui esset otiosa: ergo debet quoque statim, & ipso momēto, quo introducitur, organa esse parata, & cōsequenter ante animæ introductionem. Non enim possunt illo ipso momēto introductionis fieri, sed debent paulatim, & decursu temporis præparari. Imo de facto anima vt introducta est, statim operatur; quia secundum nos statim cōformat; ergo debet mox in principio habere aliqua organa præuia, per quæ possit operari cōformationem reliquorum. Sed respondeo nō esse otiosam: quia vt iam dictū est, statim conformat: ad conformationē vero nō est opus præuiis organis, sed sufficiūt calor natiuus, temperamentū, spiritus, & aliæ cōditiones & qualitates longe nobiliores, semini inexistentes, nobis forte incognitæ. Dico autē debere esse in corpore organico, ad hoc vt possit operari; nō quod debeat vti organis ad omnes operationes; quasi nullam sine organis possit exercere: sed quod debeat vti iis ad omnes, excepta cōformatione. Hāc enim solam necessariū fuit posse exerceri sine organis, eo quod per illā organa omnia debuerint fabricari. Nā, si pro illa quoque organa fuissent necessaria, fuisset quoq; necessaria peculiaris cōformatrix pro fabrica eorū & pro illa operatione,

tione, qua illa cõstruerẽtur, fuissent iterum necessaria alia & sic deinceps ac sic fuisset progressus in infinitũ. Qui asserũt in semine nõ animã esse, sed peculiarẽ aliã vim actiuã ac cõformatricẽ; illi equidẽ bene cogũtur fateri eã sine ope organorũ actionẽ suã exercere; quidni ergo licebit etiã nobis idem dicere de anima semini inexistẽte, quæ absq; dubio nobilior, & in agẽdo efficacior est quauis virtute alia naturali? Obiiciet aliquis: si cõformatrix posset operari sine organis, esset potẽtia non organica, & cõsequenter separabilis, atq; immaterialis, sicuti voluntas, & intellectus: proinde, cũ ipsa quoque sit in plãtis & brutis, sequeretur quod anima illorũ secundũ illam quoque posset esse separabilis, & immortalis. Hoc est absurdum. Ergo. Verũ respõdeo, nõ ideo fore separabilẽ, & immaterialẽ. Quia, etsi non vtatur organis quæ sint partes corporis; operatur tamen aliis organis materialibus, nẽpe spiritibus, tẽperamẽto, calore natiuo, quæ sunt qualitates materiales, ac instrumẽta materialia: & illa ratione est materialis, & in esse ac fieri à materia depẽdens. Eodem modo facultates ministrãtes propriæ, & nutritiua specifice dicta, quæ & assimilatoria appellatur, sunt facultates inorganicæ; & edunt actiones suas sine organis: earũ enim actiones sunt similares, & nõ instrumẽtales, easq; edũt mediãte solũmodo tẽperamẽto,

& calore natiuo: & non ſunt tamen propterea immateriales. Obiiciet ſecundo; anima eo ipſo quo eſt introducta, non ſolũ debet operari ſecundum ſuam facultatem conformatricem, ſed etiam ſecundum nutritiuam. quidquid enim viuit, & quamdiu viuit, debet nutriri. Et ita apparet quod re ipſa ſtatim primis duodecim, quindecim, &c. diebus, incipiat augeri, & à quantitate grani hordei mutari ad quantitatem apis, inde ad quantitatem ſcarabæi, & ſic deinceps, vti dictum eſt. Ad nutritionem autem opus eſt variis organis, ſtomacho, hepate, inteſtinis, corde, venis, arteriis, liene, veſica, renibus, &c. Nutritio enim fieri non poteſt ſine attractione, retẽtione, coctione, expulſione; pro quarum ſingulis ſua in promptu eſſe debent organa. Verum reſpondeo: non eſſe ita ſtatim opus nutritione ſed primo opus eſſe conformatione; & cum corpuſculum iam aliquo modo eſt ruditer conformatum; nempe duodecimo, decimoquinto circiter ab incepta cõformatione die, tunc primum nutritioni locum eſſe. Ad illam vero non eſt tunc adhuc opus magna organorum varietate, aut perfectione, ſed iis ſolum quæ poſſint pauculis diebus eſſe perfecta. Nõ enim nutritur embryo primis diebus, ſicut in progreſſu, cum iam eſt perfecte conformatus; neque in progreſſu, ſicut poſtquam iam eſt natus

&

& adultus. Tunc enim ſtatus eius adhuc eſt imperfectus: in imperfecto autem natura nõ vtitur tam multis inſtrumentis, ſicut in perfecto; ſed vno & eodem ſæpe vtitur ad diuerſos vſus; & ſufficit pro illo ſtatu rudis quædam membrorum conformatio, qualis non ſufficeret corpore iam perfecto & abſoluto. Sicut enim plantanimalia, quæ ſunt viuentia imperfecta, nutriuntur ſine vllo beneficio organorum, aut ſaltem paucorum, & ruditer conformatorum, per ſolam alimenti à loco, cui adnaſcuntur, imbibitionem; ita fere & tenellus embryo. Nam, cum iaceat in medio ſui alimenti, nempe ſeminis; vel vndiquaque immediate per ſua extrema ſugit, & imbibit illud, vt Alcmeon dixit; vel per aliquas tenues fibras, aut duos ductus dorſales, vt Varolius affirmauit, illud ad ſe trahit: quod attractum per modum roris in omnes particulas diſpergitur, imbibitur, & agglutinatur; quouſque aliis organis iam perfectioribus ſanguinem ad ſe per vaſa vmbilicalia trahere, & nobiliore quodam modo nutriri valeat. Porro minore apparatu, & per longe pauciora inſtrumenta fieri nutritionem in fœtu exiſtente in vtero matris, quam in homine iam adulto, manifeſtum eſt ex eo, quod in fœtu, neque gulæ, neque ſtomachi, neq; pulmonis, neq; diaphragmatis, imo ne quidem cordis, vt multis vide-

tur, vsus vllus sit. Sine quibus tamen ne momento quidem temporis iam natus in vita permanere posset.

Ad secundũ respõdeo, organizationẽ nõ esse nobilissimã dispositionem: quia ne quidem est dispositio simpliciter, vt iã est ostensum. At in semine sunt alia absque dubio accidẽtia & aliæ qualitates nobilissimæ ac diuinissimæ, tot in stomacho, hepate, testibus, & tot humorum ac spirituũ admixtione productæ, quæ aliis omnibus omniũ formarũ dispositionibus longe antecellunt: etiãsi nobis incognitæ, nulloque sensu perceptibiles sint. Nõ enim alias dari ad formarũ introductionem, quã primarũ qualitatũ tẽperies, Philosophia est nimis meo iudicio rudis & vana. Alias occultas in semine esse ex eo patere potest, quod multorũ animaliũ semẽ quoad sensum ab humano nõ differat; in quo nisi laterẽt aliæ dispositiones occultæ, sequeretur ex semine humano, brutũ; & ex semine brutorũ hominem aliquãdo posse generari.

Ad tertiũ, distinguo maiorem: nã, si intelligatur nõ posse introduci nisi cũ cõditionibus, cũ quibus potest cõseruari toto tempore vitę, seu ad centũ annos; sic falsa est maior: certũ enim est posse primũ introduci cũ dispositionibus, cũ quibus nõ potest conseruari; vt nulli nõ est manifestũ: neque necessũ est, vt cũ talibus introducatur; quia sufficit, introduci cum talibus

cum

cum quibus poſſit tam diu cõſeruari, donec & quouſque ſit introducta diſpoſitio perfectior, cum qua poſſit conſeruari vſque ad vltimam vitæ naturalis periodum. At ſi intelligatur nõ poſſe introduci, niſi cum diſpoſitione, cũ qua illo momento, & breui tempore poſſit conſeruari, quouſque perfectior diſpoſitio ſit inducta; ſic maior eſt vera; & in illo ſenſu nego minorem. Nam falſum eſt, ad talem pro breui illo tempore animæ iam recenter introductæ conſeruationem eſſe opus organizatione, aut ſaltẽ eſſe opus organizatione valde perfecta, & abſoluta. Iam enim in ſolutione argumenti primi oſtenſum eſt, cum parua ac valde rudi, imo cum nulla, animã iam recenter introductam poſſe ad tempus conſeruari, donec & quouſque perfectior fuerit ſubſecuta & quouſque nobiliore modo fœtus nutriri, ac viuere incipiat. Tum enim non amplius poſſet cõſeruari cũ illa rudi organizatione, cũ qua fuit in principio, & in ſtatu ſuo imperfectiore, cõſeruatus. Ad confirmationem dico, non eſſe verũ ad nutritionem nouelli embryonis tam operoſo tot membrorũ apparatu opus eſſe, vt iã oſtensũ eſt. Tãdem quomodocũque ſit argumentũ, nihil peculiare probat cõtra concluſionem allatam, aut contra meam opinionem. Quia ſi aliquid probaret, non minus probaret contra aliorum omnium opinionem quam meam.

meam. Nam etiam in communi opinione anima introducitur cum illis dispositionibus cũ quibus toto vitæ naturalis termino non potest conseruari. Quia, si nunc corpus nostrum diuina virtute redigeretur ad illum statum, in quo fuit die trigesimoquinto, vel trigesimo, quo asserunt animam rationalem introduci; non posset ne momento quidem temporis perdurare.

Ad quartum respondeo, negando minorem. Ad probationem dico: verum esse, non posse conseruari, nisi per suas operationes; sed non est verum quouis tempore debere conseruari per easdem. Etenim tempore, quo fœtus adhuc est in vtero, potest conseruari sine respiratione, sine chylificatione, sine alui deiectione; imo etiam sine pulsu, vt aliqui existimant; sine quibus non posset conseruari postquam iam in lucem prodiit. Neque verum est illas operationes debere semper in embryone exerceri mediantibus organis, aut mediantibus saltem tam multis, aut tam perfecte conformatis, sicut exercentur in progressu generationis, aut in hominibus iam natis. Nam, vt supra dictum est, cõformatio potest exerceri sine organis; nutritio prima cum organis valde paucis, & valde rudibus, & cum quibus non posset exerceri in adultis.

Ad quintum, concedo maiorem. Sunt autem

tem etiam heterogeneæ ſubſtantiæ in ſemine. Etenim ſi non eſſent, non poſſent ex his oſſa, ex aliis caro, nerui, membranæ generari. Verum nego minorem. Differunt enim eſſe heterogeneum, & eſſe organicum. Corpus organicum eſt heterogeneum; ſed heterogeneum non eſt organicum.

Ad ſextum, nego minorem: eſt enim eſſentialiter homo, etiamſi ab hominibus non appelletur talis. Sæpe enim quæ eſſentialiter eadem ſunt, diuerſimode appellantur, vt vapor & nix, aqua & glacies, &c. Appellationes hominum non mutant eſſentias rerum. Sæpe enim propter diuerſas differentias accidentales, ac conditiones diuerſa rebus nomina imponuntur. Hominis nomine appellatur homo iam natus, iam perfectus, & abſolutam ſuam nactus conſtitutionem. Semen recenter animatum non vocatur adhuc homo, ſed conceptus, embryo, fœtus, &c. Dari autem talem hominem qui adhuc mollis ſit & fluidus, nec brachia, nec crura, nec ſtomachum, nec hepar habeat, nec pulſum, nec motum, nec ſenſum, &c. nihil eſt abſurdi, nec cuiquam abſurdum videbitur, qui non de homine iam nato, & perfecto, ſed primum incipiente fieri ſermonem haberi intellexerit.

QVÆSTIO VIII.

Quæ ergo & qualis sit illa anima quæ semini post conceptionem primo aduenit ac conformationem facit, vegetatiuane, sensitiua; an rationalis.

VIdetur autem esse vegetatiua. Hoc dixerunt plerique omnes tum Medici tum Philosophi. Ita docet D. Thomas parte 1. quæstione 76. articulo tertio ad 3. & quæstione 118. articulo 2. ad 2. & 2. contra gentes capite 89. Albertus Magnus in libro de animalibus. Ferrariensis ad caput D. Thomæ citatum, Conimbricenses 2. de anima capite 1. quæstione 4. articulo 2. Toletus 2. de anima capite 4. quæstione 7. Fernelius libro 5. capite 18. & libro 7. capite 5. Vallesius 2. controuersiarum capite 9. Ludouicus Mercatus libro 1. Physiologiæ parte 4. classe 1. quæstione 98. Peramatus libro de facultatibus corpus nostrum dispensantibus, capite 4. aliique. Et probatur primo: authoritate Galeni 1. de semine capite 9. vbi sic inquit: *Neque tamen quod tri-*

plicem

plicem plantam vel sanguineam vel carneam hic vides (loquitur de embryone) *aliud quid esse quam plantam, hoc est vegetabile corpus debes existimare, cum vtraque eundem opificem, eandemque vegetabilem animam habeant. Illud enim considerandum est, plantam hanc non amissa quam habebat prius facultate, sed alia insuper acquisita in animal esse euasuram, & vbi perfecta, absolutaque à vulua fuerit, è loco in locum transituram.* Et libro de fœtus formatione capite 3. vbi sic ait. *Veruntamen de plantarum etiam ortu aliquid prius considerandum videtur: ex iis enim quæ necessaria plantis sunt, licebit cognoscere, quot, & qualia sint ea quibus fœtus indiget, quousque vna anima, perinde ac plantæ regitur, & dispensatur.* Probatur etiam authoritate Aristotelis variis locis, & præcipue 2. de generatione capite 3. vbi sic inquit: *Conceptum inanimatum esse nemo statuerit, & vita omnibus modis priuatum: quippe cum nihilominus semina & conceptus animalium viuant quam stirpes, & aliquamdiu prolifica sint. Ergo animam vegetantem habere planum est: sed quam ob causam eam habere primum necessum sit, ex iis quæ alibi de anima disseruimus, apertum est: sentientem etiam qua est animal, tempore procedente recipi, & rationalem qua homo, certum est. Non enim simul animal fit & homo.* Quibus verbis clarissime docet primum in semen

introduci animam vegetatiuam, secundo sensitiuam, tertio rationalem.

Et probatur opinio ratione, secundo: ille ordo naturæ conuenientissimus est, quo paulatim fit progressus ab imperfecto ad perfectum, per medium ille ordo optime seruatur, si modo iam dicto; animæ semen subingrediantur, minime vero si primo in tam ignobilem materiam mox introducatur rationalis. Ergo.

Tertio. Quo forma est nobilior, eo per plures, & magis varias dispositiones ad eam perueniri est conueniens: sed peruenietur ad animam rationalem per varias, & diuersas dispositiones, si immediate ipsa non subintret semen, sed multæ aliæ formæ ac animæ per modum præuiarum dispositionum eam preingrediantur. Ergo.

Quarto. Primæ actiones, quæ in fœtu exercentur, sunt vegetatiuæ, inde sensitiuæ, vltimo rationales: ergo verosimile est primo introduci animam vegetatiuam, inde sensitiuam, vltimo rationalem. Nam, quid opus fuerit primum introduci rationalem, si illa secundum potentias sibi proprias adhuc nec debeat, nec possit operari.

Quinto. Primum & ante omnia in fœtu conformatur hepar, inde cor, vltimo cerebrũ: vt docet Galenus libro de formatione fœtus,

capite

capite 3. ergo primum introducitur vegetatiua, inde ſenſitiua, inde rationalis. Sequela probatur. Quia rationalis non poſſet recipi in hepar: hepar enim non eſt organum facultatum rationalium, ſed ſolum vegetatiuarum. Non poteſt autem recipi anima rationalis in organum, actionibus ſuis propriis exercendis non idoneum.

CONCLVSIO nona. Anima rationalis prima, & ſola introducitur in fœtum, & nulla alia præcedit eam.

Hæc concluſio eſt vera, & contraria videtur mihi eſſe longe abſurdiſſima: vt adeo ſupra modum mirer, nec mirari ſatis poſſim Angelicum Doctorem, tantum Philoſophum, eam potuiſſe tenere. Probatur autem grauiſſimis rationibus.

Primo. Si animam rationalem præcederet in embryone aliqua vegetatiua, & aliqua ſenſitiua: ſequeretur illam vegetatiuam, & illã ſenſitiuam eſſe ſpecie diſtinctas ab illa vegetatiua quæ eſt in plantis, & illa ſenſitiua quæ eſt in brutis: hoc eſt abſurdum; quia hoc eſt multiplicare entia ſine neceſſitate. Ergo. Maior propoſitio probatur. Quia illa vegetatiua, quæ eſſet in embryone, non eſſet eiuſdem eſſentiæ cum illa quæ eſt in plantis. Etenim, quæ eſt in plantis, eſt talis anima; quæ à natura eſt ordinata ad creſcendum in terra, &

hauriendum alimentum ex ipsa; talis non esset vegetatiua embryonis. Secundo, vegetatiua plantarũ est ens cõpletum; & forma absoluta, & forma per se subsistẽs in suo subiecto, nullum dicens ordinem ad vllam aliam formam: talis non esset vegetatiua embryonis. Ergo. Simile quid de anima sensitiua esset dicẽdum.

Secundo. Si in semine primo esset vegetatiua; inde sensitiua, inde rationalis; sequeretur illum qui nunc est homo, prius fuisse plãtam, postea bestiam, & tandem esse factum hominem: hoc est absurdum. Ergo. Hoc argumentum student omnes eludere; sed nullus eius vim potest euadere. Solet respõderi, ideo non posse dici fuisse plantam, quia homines appellatione plantæ intelligunt aliquod corpus viride crescens in terra, habens radices, folia, ramos, &c. & ideo non posse vocari bestiam, aut brutum; quoniam homines per brutum intelligunt aliquid per se subsistens, habens pedes, caput, caudam, alas, &c. Talis non est embryo cum habet animã vegetatiuam, aut sensitiuam; quare merito non potest vocari planta aut brutum. Verum responsio non sufficit: quia non est quæstio an sic possit vulgo appellari. parum enim curo appellationem, sed an vere & essentialiter sit. Certum autem foret tunc hominem essentialiter esse plantam: quod absurdum nõ modo

dictu

dictu, sed & cogitatu est. Nam ad hoc, vt aliquid sit essentialiter hæc vel illa res, nihil amplius requiritur quam vt habeat essentialiter illius rei formam, & illius formæ actiones; id est habeat actum primum, & secundum. nā quid aliud requiritur? ne quidem requiritur actus secundus; sed sufficit primus. Atqui embryo cum habet animam vegetatiuam, vere & essentialiter habet formam plantæ, & habet illius formæ operationes; nimirum nutritionem, attractionem, retentionem, quæ sunt operationes animæ vegetatiuæ, adeoque actum primum & secundum; ergo vere & essentialiter est planta: & sic de anima sensitiua. Respondent, ideo non esse vere plantam aut brutum, quia est ens in via, & ens incompletum, & ens in ordine vt fiat aliud: qualia non sunt illa quæ vere planta & brutū appellantur. Quia illa sunt entia completa per se subsistentia, & semper in illo statu manentia, & nō habentia ordinē; vt vnquam in aliud viuēs cōmutentur, aut vnquam recipiant animā superiorem. verum non satisfacit respōsio: quia parū est vnum habere ordinem ad aliud, & fieri aliud, alterū non: quia propter habere ordinē ad aliud, vel nō habere, & posse fieri aliud, vel nō posse; nō est magis vel minus id quod est. Nam tādiu saltē quā manet sub illa forma prima, est essentialiter id cuius forma præditū est.

Multa ſunt entia imperfecta ordinata ad hoc vt conuertantur in aliud perfectius; & tamen quamdiu manent ſub forma primi entis, tamdiu vere & eſſentialiter ſunt illud quod ſunt: & ſunt illud primum ens. Chylus, ſanguis, lac, medulla, ſemen, ſunt entia incompleta: quia eorum forma tendit ad hoc, vt acquirat aliam nobiliorem; & nihilominus tamen, interim quam illam formam vltimam non acquiſiuerunt, ſunt reuera id cuius formam habent, & ſunt reuera chylus, ſanguis, lac, medulla, ſemen. Pluuia ordinata eſt à Deo vt cōuertatur in ſubſtantiam plantæ; & tamen quādiu non eſt conuerſa, eſt vere & eſſentialiter pluuia. Fructus plātarum ordinati ſunt à natura vt conuertantur in ſubſtantiam animalium, vt melones, pyra, poma; & tamen quamdiu non ſunt conuerſi, non ceſſant propterea eſſe eſſentialiter fructus, melones, pyra, poma, &c. Sic multa quoque ſunt accidentia ordinata à natura vt conuertantur in aliud: ariditas in fructibus eſt ordinata vt conuertatur in dulcedinem, viriditas in flauedinem, rubedinem, &c. & tamen quamdiu non ſunt conuerſa, ſunt vere & eſſentialiter ariditas, & viriditas, &c. & tales poſſunt appellari, & ſunt eiuſdem ſpeciei cum illis quæ ſemper manét, quæque à natura minime ſunt ordinatæ, vt in aliam ſuperiorem qualitatem conuertantur.

Tan-

Tandem; quare embryo tunc est ens incompletum? Etenim vbi forma essentialis est, & sic est vt possit operari, vbi est ens completum: hoc esset in semine; ergo esset ens cõpletum. Et quæ est ratio, & quomodo fieri potest, quod vna & eadem specie forma existens in vno subiecto non tam bene faciat, ac constituat ens completum, quam existens in alio? Vegetatiua, quæ est in fungo, in musco arborum, in lenticula; tam bene facit illa esse entia completa, quam existens in cupressu, vel quercu, vel quacumque alia planta, etiamsi illæ sint hisce innumeris modis ignobiliores. Porro, si homo est primo planta, postea brutum, qualis planta est, & quale brutum? & sub qua specie plantæ, vel bruti cõtinetur? Non enim est vniuersale, aut planta in communi, sed hæc vel illa, ac sub aliqua determinata specie contenta. Qualis ergo planta est? an herba, an frutex, an arbor, an φρύγανον? nullæ enim aliarum plantarum species reperiuntur. Et demum quale brutum? an auis, an piscis, an animal quadrupes, an ζωόφυτον? Absque dubio deberet referri ad aliquam speciem nobilissimam; eo quod dispositiones, per quas fit planta in homine, sint longe excellentiores illis per quas fit planta extra hominem: esset ergo verisimiliter vel canis, vel equus, vel elephas, quia illa sunt

inter animalia nobilissima. Tandem non posse eo ordine plures animas introduci, sic probo: quia secundum communem doctrinam rationalis introducitur die trigesimo, vel trigesimoquinto. Illo tempore foetus est adhuc sicut mucus, & sicut semen paululum inspissatum; & tam mollis, vt nisi ponatur in aqua frigida, & hac ratione nonnihil condensetur, appareat sicut mucus; & nulla membra aut organizatio in eo possit apparere. Denique, tũ solum est in magnitudine apis vel scarabæi; est adhuc totus albus, & semineus; nec vlla adhuc in eo apparent sanguinis vestigia, vt experientia docet, & nos ipsi vidimus, & suo tempore, Deo volente, sumus ostensuri. Si ergo illo tempore introducitur rationalis, quo introducitur sensitiua? vtique non potest nisi exiguo tempore, & forte non nisi pauculis diebus ante esse introducta. Nam cum, exceptis intellectu & voluntate, habeat sensitiua omnes easdem potentias, & actiones, quas rationalis, & æque perfectas; merito tã perfectã pro sui introductione, quã rationalis pro sui, requirit organizationẽ. At intermedio illo exiguo tẽpore, quomodo potest esse facta vlla notabilis dispositionũ mutatio? aut quæ nouæ dispositiones posset interea tẽporis esse introductę, propter quas ab vna anima ad alterã tã repẽte transitus fieret; vel priori alia nobi-

nobilior succederet? Illo exiguo tépore nõ potest esse facta alia dispositionũ mutatio, neq; vllæ aliæ dispositiones esse introductæ; quam quod semé seu illud viués interea sit factũ paulo siccius, & paulo maius; & partes paulo euidẽtius appareãt, pauloq; perfectius sint cõformatæ; nullaq; alia diuersitas potest esse facta, quã secundũ magis & minus: at talis nõ est sufficiens ad faciendum, vt propterea alia excellẽtior anima debeat superinduci. Maior enim vel minor organorum perfectio seu organizationis prouectio non est sufficiens dispositio ad animam specie distinctam, & infinitis modis nobiliorem inducendam; sed necessario deberent esse productæ aliæ dispositiones longe excellentiores, etsi latentes, & nobis forte incognitæ. Nam si propter exactiorem seu prouectioré organizationé deberet nobilior anima superuenire; sequeretur, quãdo semen porcinũ in vtero suis esset iã in sua organizatione prouectius, seu exactius organizatũ, quam semen humanũ in vtero humano in sua, népe die trigesimo, seu illo quo dicũt animã rationalé infũdi, quod tum deberet in ipsũ anima rationalis, extincta porcina, superinduci. quod absurdum est. Porro nullas alias dispositiones interea temporis posse produci, manifestum est ex eo; quod nihil possit adsignari, quod illas producere posset. Nã quid

illas produxiſſet? ſi quid produxiſſet, vel eſſet illa virtus actiua formatrix, quam ſemini ineſſe aſſerunt, vel anima præinexiſtens : non illa formatrix ; quia illa vnica atque eadem eſt. eadem autem virtus, permanente eadem materia, nempe ſemine, non poſſet tam diuerſas ordine producere diſpoſitiones, quarum vna vegetatiuæ, altera ſenſitiuæ, vltima animę rationali introducendæ conueniret. vnũ enim & idem in eadem materia non poteſt tam diuerſos producere effectus. Et quomodo virtus profecta ab anima generantis poſſet producere diſpoſitiones idoneas animabus vegetatiuæ, & ſenſitiuæ? Non etiam anima præinexiſtens. Quia, quomodo poſſet ipſa producere diſpoſitiones ad animam à ſe ſpecie diſtinctam. Accedit, quod, ſi propter exactiorem organizationem anima rationalis ſuperueniret, deberet illa exactior organizatio maxime eſſe facta circa caput, quæ eſt ſedes animæ, ſecundum quod eſt rationalis. At circa caput talis exactior organizatio non apparet; quia comparatione ad cætera membra nullum eſt quod rudiorem, & minus exactam in principio habeat conformationem ipſo. Ergo.

Tertio. Cum ſtatutum ſit animam, quæ primo introducitur, eſſe cauſam efficientem conformationis ; ſi primo introduceretur vege-

vegetatiua; sequeretur quod illa faceret primam embryonis conformationem: at hoc esse non potest. Ergo. Minor probatur. Quia vegetatiua non potest habere instinctum organizandi partes in ordine ad aliam animam. Anima vegetatiua habet instinctum formandi in suo subiecto radices, ramos, folia, fructus; non caput, pedes, ventrem, brachia, caudam aut plumas. Aut quomodo posset eadem forma in vno subiecto, nempe semine humano, habere instinctum organizandi, in ordine ad animam rationalem, ac operationes eius, in alio nempe plantali solummodo in ordine ad operationes proprias? Aut quomodo potest tam ignobilis anima formare organa tam excellentia, qualia conueniunt animæ rationali, & sic operari supra vires suas? cum tamen in semine existens non posset dici operari in virtute alterius; sed solum in virtute propria. Non enim potest anima vegetatiua operari in virtute animæ rationalis, sed solum in virtute propria.

Quarto. Si primo introduceretur vegetatiua, illa deberet primam facere conformationem, vt dictum est. Vel ergo illam inceptã perficiet toto reliquo tempore permansionis fœtus in vtero; vel transferet munus in sensitiuam, eo tempore quo illa superueniet. Et si illa transferat in sensitiuam, ergo eodẽ

quoque modo ſenſitiua ſuperueniens debebit poſtmodum illud quoque transferre in rationalem. Non poteſt perficere; quia ſuperuentu ſenſitiuæ extinguitur. Suppono enim, vt certum ac fidei conſentaneum eſt, tres ſpecie diſtinctas animas in nobis eſſentialiter minime permanere. Non transferet etiam munus in ſenſitiuam, & illa in rationalem, quia ſic ſequeretur, quod fœtus conformaretur à tribus conformatricibus ſpecie diſtinctis; quarum vna eſſet facultas animæ vegetatiuæ, alia ſenſitiuæ, alia rationalis: hoc eſt abſurdum; quia, vt ſupra dictum eſt, eſſet impoſſibile tres illas facultates nobilitate & excellentia maxime differentes, poſſe vnum & idem numero opus perficere, eodem modo conformare, & filum conformationis ab alia facultate, ac alia anima incœptæ, ſine errore proſequi. Ergo.

Quinto. Si primo introduceretur vegetatiua; homo non produceret ſibi ſimile in ſpecie: hoc eſt abſurdum. Ergo. Maior probatur. Quia, vt ſupra probatum eſt, homo non alia ratione producit ſibi ſimile in ſpecie, quã producendo in ſemine omnes diſpoſitiones, vſque ad animæ rationalis introductionem neceſſarias: animam enim non generat; quia creatur à Deo. At ſi primo introduceretur vegetatiua, non introduceret omnes diſpoſitiones

nes ad animæ rationalis introductionem necessarias : quia eius in generando actiuitas cessaret producta prima anima : vlteriores omnes dispositiones causarent animæ introductæ, & quidem causarent in virtute propria, & non in virtute animæ generantis. Nullus enim modus potest excogitari quo anima vegetatiua introducta possit dici operari in virtute animæ generantis, & multo minus sensitiua, quæ vegetatiuam subsequeretur. Ergo.

Sexto. Si in generatione hominis vegetatiua præcederet rationalem ; in generatione bruti etiam præcederet sensitiuam, vt est certum. At si hoc esset ; sequeretur quod generatio plantarum esset longe excellentior generatione hominum, & brutorum : hoc est absurdum; quia excellentiorum animarũ operationes sunt excellentiores. Ergo. Fore excellentiorem probatur. Quia vegetatiua, per suam potentiam generatiuam generaret sibi simile in specie, & attingeret vere, & immediate productionem animæ sibi similis ; sensitiua vero non attingeret : quia in suo semine non attingeret vere & immediate nisi productionem animæ vegetatiuæ, sensitiuæ vero non attingeret. Quinimo vegetatiua bruti non solum attingeret productionem animæ sibi similis, sed insuper

per

per se, & in virtute propria operaretur productionem animæ sensitiuæ. Nam, vt iam dixi, nullo modo potest dici operari in virtute animæ sensitiuæ generantis.

Septimo. Vel illæ duæ animæ, quæ rationalem in semine præcederent, remanerent simul omnes; vel anterior superueniente posteriore periret: non remanent, quia contrarium ab Ecclesia decisum est: & si remanerent, in homine iam genito actu & essentialiter essent tres formæ & tres animę specie distinctæ, & homo esset tres res, & non esset ens vnum per sę, sed ens compositum ex diuersis entibus in actu; & esset simul homo & brutum, & planta; & secundum vnam animam esset mortalis, secundum aliam immortalis; & vel singulæ possent in nobis edere diuersas actiones, vel omnes simul ederēt vnam, vel vna ederet omnes, & reliquæ remanerent otiosæ; quæ omnia sunt longe absurdissima. Non pereunt; nam à quo perirēt, & quid destrueret eas? Non possunt dici destruere se mutuo: quia in formis non est cōtrarietas aut similitudo: non possunt etiā dici perire, per hoc quod earum dispositiones, quibus in materia debent conseruari, pereāt. nam à quo perirent & quid destrueret eas? Dispositiones animæ posterioris non possunt destruere dispositiones anterioris: quia dispositio-

positiones posterioris essent effectus animæ anterioris. Animæ enim anteriores sunt illæ quæ, ex quo inductæ essent, producerent dispositiones pro anima posteriore. Causa autem non producit effectus sibi contrarios, aut effectus quibus ipsa exstinguatur. Secundo: quia illæ dispositiones cum quibus persistere deberent vegetatiua & sensitiua, necessario in fœtu remanerent. Nam cum fœtus debeat exercere, & operationes vegetatiuas, & sensitiuas, necessum esset in ipso remanere dispositiones, quibus illas actiones posset exercere. Si ergo ramanent dispositiones cũ quibus earum actiones possint exerceri; ergo remanent quoque dispositiones cum quibus ipsæ secundum suam substantiam possint persistere, & perdurare: iisdem enim dispositionibus, cum quibus forma est apta operari, iisdẽ est quoque apta induci, & perdurare. Ergo. Dices. Inducitur dispositio perfectior, cum qua non potest stare anima inferior. Sed non soluit: quia inductio dispositionis excellentioris, non potest esse causa extinctionis animæ anterioris, quamdiu per eam non exstinguitur dispositio eius propria, eiusque essentiæ necessaria. Tertio: quia, si illæ animæ sic ordine extinguerentur, sequeretur embryonem bis mortuum esse antequam animam rationalem esset adeptus; semel secundum

animam

animam vegetatiuam, & ſemel ſecundum ſenſitiuam. nam in quo ſubiecto anima extinguitur, illud vere moritur. hoc ridiculum eſt. Ergo. Alij dixerunt neque perire anteriores animas neque manere, ſed vnam fieri alterã; vegetatiuam fieri ſenſitiuam, & ſenſitiuam rationalem. Sed doctrina eſt falſa, & eam oppugnat D. Thomas 1. parte quæſtione 118. articulo 2. ad ſecundum, & 2. contra gentes capite 89. & conuincitur primo: quia, quando iam adueniret anima rationalis, & conceptus fieret homo, illa productio hominis non eſſet vera generatio, nec eſſet generatio ſimpliciter: quia eius ſubiectum eſſet ens in actu, nec eſset nouæ formæ productio, ſed eſſet ſolum præexiſtentis perfectio, & ad gradum ſublimiorem eleuatio. Secundo: quia ſic daretur in formis magis & minus, intenſio, & remiſſio: & eadem forma tranſiret de ſpecie in ſpeciem. Nam, vt inquit Ariſtoteles 3. Metaph. cap. 3. formæ ſunt numeri: cum mutantur, & perficiuntur, ſpeciem mutant: quæ omnia ſunt falſa, & vere Philoſophiæ repugnantia. Neque dici poteſt perfectionem illarum animarum eſſe ſolummodo ſecundum aliqua accidentia, & non ſecundum ſpeciem & eſſentiam: quia ſic ſequeretur animam rationalem eſſentialiter ſolum eſſe vegetatiuam, & conſequenter mortalem & hominem eſſen-
tialiter

tialiter ſolum eſſe plantam, à reliquis plantis ſolum accidentali perfectione diſtinctam. Alij, quod longe abſurdius eſt, aſſerunt animas anteriores, ſibi mutuo incorporari, vniri, & adglutinari; & ex tribus fieri vnam: ſed hoc quoque ſtultum eſt: quia ſic ſequeretur quod anima noſtra non eſſet actus ſimplex, purus, & homogeneus, ſed quod eſſet vnus actus compoſitus ex multis actibus partialibus diuerſi generis, & quod conſtaret portionibus materialibus diuiſibilibus, ac mortalibus, & quod ſecundum ſe totam non eſset incorruptibilis, aut immortalis. Alij dicunt animas illas mutare ſuam naturam ac conditionem: & eorum aliqui dicunt animam præcedentem fieri diſpoſitionem ſuccedentis: alij incorporari animæ ſuccedenti, & fieri eius potentiam: ſed æque friuolum eſt vtrumque: quia ſic ſequeretur iterum formas mutare eſsentias ſuas, & quæ antea fuiſset ſubſtantia, poſtea fieri accidens: quod eſt abſurdum. rerum enim eſsentiæ conſtantes ſunt & impermutabiles.

Octauo. Si vegetatiua præcederet ſenſitiuam, & ſenſitiua rationalem in generatione hominis; ſequeretur, quod etiam vegetatiua præcederet ſenſitiuam in generatione

bruti:

bruti: at hoc esse non potest. Ergo. Minor probatur, quia sic sequeretur quod vtraque anima & sensitiua, & rationalis in generatione, & per se producerent vnam & eandem animam, nempe vegetatiuam. Nam & equus in suo semine, & homo in suo primo & immediate producerent animam vegetatiuam. hoc esse non potest: quia cum sensitiua & rationalis sint specie distinctæ, & inter se nobilitate, & excellentia diuersissimæ, non possunt in generatione vnam & eandem animam producere. Nam quæ diuersa specie sunt, diuersos quoque vt producant effectus, & nobiliora vt nobiliores, necessum est. Proinde, sicut anima sensitiua equi posset primo, & immediate producere vegetatiuam, ita quoque proportionaliter deberet rationalis primo & immediate posse producere sensitiuam Respondet Carrerius, quod argumentum teneret: si illæ duæ animæ vegetatiuæ; vna quæ producitur ab equo, & alia quæ producitur ab homine, essent eiusdem speciei, sed sunt, inquit, diuersæ, & diuersæ perfectionis, & ideo non est mirum eas ab animalibus diuersæ speciei, & diuersæ perfectionis produci. Sed responsio non valet: quia in primis multiplicat entia sine necessitate. Secundo, quia illæ vegetatiuæ non possunt esse specie distinctæ: quia & in generatione bruti, & in

gene-

generatione hominis tenderent vt diſpoſitiones, & vt medium immediate ad introductionem animæ ſenſitiuæ. At animæ quæ ſic tendunt ad eundem finem non poſſunt eſſe ſpecie diſtinctæ: niſi dicere velit etiam illas ſenſitiuas, ad quas tendunt, eſſe ſpecie diſtinctas: quæ omnia gratis, & ſine fundamento, atque etiam falſo dicerētur. Nam; ſicut omnes animæ rationales ſunt eiuſdem ſpeciei, ita quoque & omnes vegetatiuas, & ſenſitiuas eiuſdem eſſe ſpeciei cenſendum eſt. Differunt quidem bruta & plantæ inter ſe ſpecie; ſed non differunt ſpecie per hoc, quod habeant animas, ſed quod alias formas peculiares Phyſicas inter ſe ſpecie diſtinctas. Si duæ illæ animæ vegetatiuæ prædictæ ſpecie differrent, ſequeretur quod eadem ratione etiam illa vegetatiua, quam planta producit in ſuum ſemen, differret ſpecie à duabus illis vegetatiuis prędictis: & conſequenter quod hac ratione tres animæ vegetatiuæ ſpecie diſtinctæ in mundo reperirentur, quod eſt abſurdum.

Nono. Si in generatione totius ſubſtantiæ de nouo, ſeu totius hominis præcederent duæ animæ introductionem animę rationalis: ſequeretur quod etiam in generatione nouæ ſubſtantiæ partialis, ſeu in aggeneratione nouæ ſubſtantiæ ac in nutritione eædē

animæ deberent præcedere introductionem eius: at hoc nemo dixerit. Ergo. Responderi posset, inquit Carrerius, non sequi quod ponitur in maiore propositione, & rationem diuersitatis esse in eo, quod maior sit perfectio in agente quod efficit nutritionem, quam in eo quod efficit generationem. Nam quod efficit generationem, est, inquit, virtus seminis; quod vero efficit nutritionem, est ipsa anima sensitiua vel rationalis: illa in brutis; hæc in hominibus. animæ autem istæ propter suam excellentiam, & suum actualem, & immediatum concursum bene possunt inducere immediate in nutrimentum animam vltimam, sine alia anteriore intermedia: formatrix vero quæ est ignobilior, & solum agit in virtute animæ absentis, id non potest. Respondet secundo; aliam quoque rationem esse ex eo, quod multo maioris moliminis sit producere nouum hominem, & substantiam totam de nouo, quam partem eius. Nam quia illud maioris moliminis est, ideo, inquit, illa produci non potest sine magno apparatu, & sine præuia laboriosa introductione plurium dispositionum, & plurium animarum: hæc vero, quia minoris moliminis, produci potest apparatu minore, & vnius solius animæ ingressu. Verum responsiones friuolæ sunt, & imprimis quidē primas
propter

propter varias rationes. Primo, quia supponit conformationem fieri à virtute seminis; quod est falsum; vt iam est ostensum. Secundo, quia verisimile est eodem modo fieri introductionem animarum in generatione, quo in prima nutritione. in prima nutritione nō fit nisi introductio vnius animæ, & non plurium, id est animæ vltimæ: ergo & in generatione. Minor probatur. Etenim eodē modo, quo fit nutritio octo cum dimidio mensibus postremis in vtero, & toto reliquo tempore vitæ extra vterum; eodem modo verisimile quoque est fieri primis quindecim vitæ diebus. At toto illo tempore posteriore sic fit vt non introducatur nisi vna anima in alimentum; vt certum est: ergo & in nutritione prima. Nam quæ ratio esset quare plures introducerentur in illa prima nutritione, quā in postremis? Sequela probatur. Generatio, & prima nutritio fiunt eodem fere tempore & ex eadem materia; ergo eodem modo, & ordine introductionis animarum: fiunt eodem fere tempore; quia pauculis diebus postquam embryo genitus est, incipit nutriri; augetur enim, quare & nutritur: fiunt ex eadem materia; quia embryo in quantitate grani hordei incipit formari in medio seminis, ex reliquo semine circumiacēte nutritur. Sequela iterum probatur: quia

ſicut introducitur anima in vnam portiunculam ſeminis, ita veriſimile eſt introduci quoque & in aliam; & ſicut introducitur in illas portiones ſeminis, quæ ſunt alimentum embryonis iam geniti, & materia nutritionis; ita veriſimile quoque eſt fuiſſe introductam in illam quæ materia eſt conſtitutionis eius, ſeu generationis. Tam enim eſt apta primitus introduci in vna actione, quam in altera. Tertio: quia in plantis eodem modo introducitur anima in generatione, ſicut in nutritione: vtrobique enim primo, & immediate introducitur. Si eodem modo introducitur in vtraque actione in plantis, ergo & eodem modo introducetur in vtraque actione in brutis, atque in homine. Nulla enim ratio eſt, quare in plantis in vtraque actione primitus & immediate poſſit introduci; in brutis vero & hominibus non poſſit niſi immediate in nutritione, & mediate ſolum in generatione. Etenim ipſum viuens vegetatiuum, quod eſt cauſa principalis productionis animæ in eo quod generatur, non immediatius concurrit ad productionem animæ vegetatiuæ, quam viuens ſenſitiuum, & rationale, ad productionem animæ ſenſitiuæ ac rationalis. Secunda quoque reſponſio friuola eſt, quia tam bene, imo melius, poteſt eſſe diſpoſitum ſemen ad hoc vt anima rationalis ipſum immediate

valeat ingredi in prima generatione, quam ſanguis, vt ipſum valeat ingredi in nutritione. Certum enim eſt ſemen eſſe ſubiectum nobilius, magis elaboratũ, & magis capax ad immediate animam rationalem recipiẽdam, quam ſanguis. Secundo: quia non eſt verum maioris moliminis eſſe animam ſubintrare ſemen in prima generatione quam in nutritione. Eodem enim molimine & eadem facilitate ſubintrat forma vnam materiam diſpoſitam quam alteram. Eſt equidem maioris moliminis ſemen rude, & informe conformare, & paruum illum embryonem totum nutrire, & perducere ad perfectionem, & magnitudinem, quam iam genito ſolummodo apponere alimentum: ſed illa nutritio, & perductio ad perfectionem, & ad debitam magnitudinem non ſunt generatio, neque animæ productio; ſed iam geniti perfectio. Nos autem loquimur de generatione ſimpliciter, ac de animæ introductione. Non eſt autem maioris moliminis eam ſubingredi ſemen elaboratum, in vtero exiſtens in prima generatione, quam ſanguinem in nutritione. Et vt ita eſſet, non eſſet tamen tanta diuerſitas illius moliminis, quod propter eam deberent tres animæ ſubingredi ſemen in generatione, & non niſi vna in nutritione.

Ad argumenta in contrarium reſpondetur.

Ad authoritates; respondent aliqui, Aristotelem non de animæ essentiis, sed de ipsis solum facultatibus esse intelligendum: neque eius opinionem esse, primum in semen subingredi animam vegetatiuam, inde sensitiuam, inde rationalem; sed solum semen primum viuere vita plantæ, id est secundum potentiam vegetatiuam, postmodum etiam secundum sensitiuam, vltimo rationalem. Ita Aristotelem intelligendum esse putant Albertus 1. de animalibus tractatu 2. capite penultimo. Marsilius 1. generat. quæstione 6. capite 5. Philoponus, aliique. Verum qui considerate Aristotelem legerit, inueniet eum non solum de facultatibus, sed de ipsis animarum substātiis loqui. In eum sensum intelligit ipsum D. Thomas 1. parte, quæst. 6. art 3 & aliis locis. Quapropter quid ad eius authoritatem respondeam non habeo, nisi; amicus Plato, amicus Socrates, amicissimus Aristoteles, sed magis amica veritas.

Ad secundum respondeo: ad hoc vt ordo seruetur in natura, non esse necessum, vt semper ab ignobili forma ad nobiliorem fiat trāsitus per omnes formas mediæ nobilitatis, sed sufficere quod fiat, vel per aliquas formas essentiales intermedias, vel per medias accidentales, & varias dispositiones alias aliis nobiliores. Nam si illud esset necessum, sequeretur

tur

tur quod quando forma cæli fuiſſet introducta, primum debuiſſet fuiſſe factus tranſitus ad eam per omnes formas ignobiliores, nempe elementorum, mixtorum imperfectorum, ac etiam lapidum, metallorum, &c. eo quod omnes ſint nobilitatis inferioris ipſo cælo, quod ridiculum eſt. Modo vero antequam materia ſeminis perueniat ad animam rationalem, tranſit per multas formas intermedias, & per varias diſpoſitiones chyli, ſanguinis, hepatis, quas in variis partibus ac variis generationibus eſſentialibus acquiſiuit: quod ſufficit ad allegatum naturæ ordinem non interpellandum.

Ad tertium patet reſponſio ex dictis.

Ad quartum, nego ſequelam: poteſt enim anima rationalis ſola omnes illas actiones exercere; ſine eo quod neceſſum ſit distinctas ſpecie ad hoc, ordine introduci; eo quod ipſa eminenter in ſe contineat potentias omnium aliarum. Neque neceſſum eſt tunc primum ipſam introduci, cum ſecundum potentias ſibi proprias poteſt incipere operari, quia ſi tum primum introduci deberet, ſequeretur quod ante ſecundum vel tertium annum ætatis non deberet introduci; eo quod ante illud tẽpus vix pueri incipiunt ratione vti, Sufficit nõ eſſe otioſam, ſed operari ſecũdum alias

potentias sibi intrinsecas & essentiales eo tempore, quo singularum actiones necessariæ sunt; etiamsi secundum sibi proprias adhuc non operetur. Nam si vbique frustra esset vbi non potest operari, frustra esset in ossibus, musculis, neruis, hepate, pulmone, cum quibus toto tempore quo fœtus est in vtero nihil habet operari.

Ad quintum respondeo: experientia anatomica esse manifestum illas partes eo ordine non conformari, sed omnes simul. Non semel vidi tenellos embryones magnitudine nuclei oliuæ, in quibus partes omnes, oculi, gingiuæ, lingua, aures, crura, brachia, digiti pedum manuumque, renes, hepar, intestina, cor, pulmo, & reliqua membra erant exacte conformata; in quibusque manifestum erat videre membra, non ordine, aut vnum ante aliud, sed omnia simul & semel fuisse conformata.

CONCLVSIO decima. Anima rationalis conformat & organizat corpus proprium, seu cuius est forma.

Hæc conclusio euidenter sequitur ex duabus præcedentibus. Nam si anima semini aduenìens conformet, & quæ primo aduenit sit rationalis, sequitur necessario illam conformare. Porro sicut rationalis conformat corpus suum, id est humanum; ita & vegetatiua

corpus

corpus plantæ, & ſenſitiua bruti. Etſi autem, vt dixi, hæc euidenter, & neceſſario ſequatur ex præcedentibus quæ iam probatæ ſunt, & demonſtratæ, ſunt tamen adhuc nonnulla argumenta, quæ ſpecialiter contra hanc videntur poſſe obiici.

Primum deſumptum ex Galeno libro 1. de fœtus formatione capite 6. ſic ſe habet : ſi anima noſtra conformaſſet membra noſtra, cognoſceret ea, & ſciret, quæ, quo loco, & cui vſui conformaſſet, & haberet memoriam actorum ſuorum : artifex enim cognoſcit opus ſuum. at ita non eſt : nemo enim eſt niſi arte ſit edoctus, qui ſciat, quæ membra habeat, quo loco ſint collocata, & ad quem vſum comparata. Ergo. Hoc argumentum tanti fecit Galenus loco citato, vt illius occaſione dubitauerit an poſſibile foret animam ſui corporis eſſe fabricatricem.

Secundum. Si anima noſtra conformaſſet membra noſtra, ſicuti potuiſſet, in principio generationis, ex rudi materia nullo adhuc organorum apparatu adiuta, quaſi de nihilo facere omnia ſimul; ita quoque multo facilius nunc in nobis adultis poſſet formare, & reparare vnum aliquod deperditum vel amputatum. nam qui poteſt quod plus, poteſt & quod minus : at non poteſt nunc ne minimum quidem membrum organicum, digi-

tum, aurem, nasum, penem, aut vllam aliam partem deperditam reparare. Ergo nec tunc potuit omnia simul facere.

Tertium. Si anima rationalis organizaret, non posset adsignari ratio similitudinis prolium cum parentibus. hoc est absurdum. Ergo. Maior probatur: quia similitudo procedit ex parte causæ agentis. Causa enim agēs est illa, quæ conformat secundum similitudinem eius á quo procedit; at anima introducta non procedit à parentibus, nec vnquam fuit in iis: ergo ipsa non posset conformare ad similitudinem eorum. Nam si nunquam fuit in parentibus, quomodo cognoscet qualitates, & accidentia eorum, vt sciat ea imitari, & exprimere in fœtu?

Quartum. Illud quod conformat fœtum, est illud ipsum quod conformat seminis membranas, & vasa vmbilicalia: certum enim est illa omnia effici ab eadem conformatrice. at membranas non format anima rationalis: quare neque fœtum. Minor probatur: quia si efformaret membranas, sequeretur quod tertio ad summum die deberet esse introducta: circa illud enim tempus membranæ incipiunt conformari, vt infra ostendetur; hoc est falsum. Ergo.

Sed respondeo ad primum, negando maiorem. Non enim est necessum, vt quod

anima

anima facit per vnam potentiam, cognoſcat per alteram. Hoc ita eſſe experientia eſt manifeſtùm : nam quid anima nunc in nobis agat ignoramus. ſi hoc ignoramus, quid miri, ſi quid in prima fecerit generatione etiam ignoremus. Maior enim ratio eſt nunc ſciendi quid agat, quam tunc : quia nunc eſt in actu ſuarum potentiarum cognoſcitiuarum, tunc vero adhuc ſolum erat in potentia.

Ad ſecundum ; nego maiorem : nam quod non poſſit nunc in corpore genito vllam particulam ſolidam aut inſtrumentalem deperditam regenerare, procedit ex alia cauſa, de qua agere non eſt huius loci ; ſed conſulendi ſunt authores vbi ex profeſſo diſputant : Cur partes ſpermaticæ non poſſint regenerari. Modo dico argumentum nihil probare : nam ſi probaret, probaret contra quamcumque opinionem : nam qualiſcunque demum ſtatuatur conformatrix, fatendum eſt eam eiuſmodi partes deperditas non poſſe reſtaurare.

Ad tertium reſpondeo negando maiorem ; & dico : ſimilitudinem fieri per hoc quod in ſemine ſint ſpecies intentionales, naturales, & aliqua ſimulachra impreſſa à parentibus, ſecundum quæ anima introducta orga-

organizat; non aliter quam pictor pingit secundum figuram prototypi sibi obiecti. Anima enim introducta instinctu quodam naturali vere diuino, & admirabili potest illa simulachra apprehendere, & cognoscere, & secundum illa conformare. Imprimuntur autem illa semini mediantibus spiritibus, tum vitalibus tum animalibus, à corde & cerebro testibus communicatis. Hæc doctrina non debet videri mira, quia quæcumque alia opinio teneatur, oportet fateri similem aliquam rationem, à qua similitudo illa indiuidualis fœtus cum parentibus oboriatur. Etenim si dicatur, virtutem quandam actiuam semini impressam esse efficientem conformationis causam, nunquid manet eadem difficultas? Quomodo enim virtus illa Physica cognoscit qualitates indiuiduales generantis? quo sensu, quo intellectu? An non est dicendum semini mediantibus spiritibus aliqua simulachra, seu virtute cordis, seu virtute testium esse impressa, secundum quæ operetur, & quæ ipsa admirabili instinctu sciat cognoscere, & discernere? Si teneatur sententia Aristotelis; nimirum principium actiuum solũmodo esse in semine maris & non fœminæ; nunquid manet eadem difficultas? Nam si est solum in semine maris; quomodo potest cõformari ad similitudiné matris, à qua nõ processit,

cessit, in qua nunquam fuit, & quam nunquã vidit? An non debebunt necessario fateri Aristotelici, aliqua eiusmodi simulachra inesse semini, seu menstruo fœminæ repræsentantia similitudinem matris, secundum quæ virtus illa seminis virilis, tanquam secundum exemplar possit operari? Si possint talia esse in semine fœmineo, & secundum ea conformari virtus patris; poterunt etiam esse & in semine masculino, & secundum vtraque operari anima rationalis infusa. Qui Deum, qui intelligentias, qui cælos, qui vterum statuunt conformatricem esse seminis causam, an non sunt eidem difficultati atque argumento obnoxij. Si virtus actiua seminis statueretur efficiens conformationis; & in semen primum introduci anima vegetatiua, inde sensitiua, tandem rationalis, quæ communis est Peripateticorum opinio; nunquid multo minus posset assignari similitudinis causa? Etenim superueniente prima anima vel extinguetur actiua illa seminis, quam conformatricem statuunt, virtus, vel saltem non poterit amplius operari, si alterutrum sit, ergo ipsa saltem non poterit esse illius similitudinis causa: quia illa primum circa vltimos menses producitur: quo tempore anima vegetatiua iamdudum esset introducta & actiua illa vis iamdiu extincta. Si ergo illa non est causa

causa eius, quænã erit? Dicendũ absque dubio foret, esse animas superinductas. Quod si dicatur, an non tum erit eadem difficultas? Nam cum illæ nunquam fuerint in parentibus nec ab iis sint decisæ & sic nullo modo possint cognoscere qualitates & accidẽtia eorum; quomodo poterunt eas in fœtu exprimere: nisi asserantur talia aliqua simulachra subiectæ alicui materiæ inhærere, secundum quæ conformatrix earum valeat conformare. Porro superuentu animæ actiuam illam seminis vim debere perire, ex eo manifestum est, quod tũc semen desinat esse semen & pereat forma essentialis eius; proindeque perire etiam debeant virtutes ac proprietates eam comitantes. Pereunte enim subiecto pereunt accidentia eius. Virtus autem illa actiua si qua foret, esset absque dubio seminis proprietas, promanãs ab essentia eius ab eaque in esse ac fieri dependens. Porro vt concederetur non extingui, videtur tamen certum quod saltem nõ posset operari. Etenim superinducta forma nobiliore & vitali taliq; cui merito talis actio aliæque omnes vitales possint & debeant adscribi, nullæ amplius videntur in conformãdo partes potentiæ mortuæ & non vitali, ac virtuti formæ ignobilioris posse esse relictæ. Ianninius libro de natura cœli cap. 24. agens de vi imaginationis, & studens nostram de modo

modo quo fœtus ab imaginatione matris signatur, conuellere sententiam, à nobis in peculiari de illa materia libello cõclusione quadragesima sexta traditam; negat eiusmodi simulachra semini aut spiritibus inesse; aut formatricem secundum ea, tanquam secundum exemplar, posse operari: & probat nonnullis argumentis; sed ita tamen obscure propositis, vt vix queant intelligi. Coniicio autem esse talia. Primo: causa exemplaris à Philosophis refertur ad efficientem: ergo simulachra illa quæ dicimus habere rationem exemplaris, non possunt esse in semine; quia semen non est efficiens sed materia. Secundo; si exẽplar esset in semine; actio agentis seu formatricis esset frustra: quia iam præinexisteret subiecto id, quod agens actione sua studeret inducere. Agens enim studet inducere semini figuram exemplaris ac similitudinem parentum; simulachra sunt illud exemplar & illa similitudo: ergo iam semini inessent antequam inducerentur, & sic eius actio esset frustra. Tertio: exemplar conformandi non potest esse in instrumento conformationis: spiritus sunt instrumẽtum cõformationis. Ergo. Maior probatur. Exemplar est id quod dirigit agens; instrumentum contra est id quod dirigitur ab agente: vnum & idem nõ potest esse dirigens & directum respectu eiusdem.

Ergo.

Ergo. Quarto: potentia conformatrix nõ est dirigibilis ab exemplari. Ergo. Antecedens probatur. Quia vt exemplar dirigat formatricem, debet recipi in ea: simulachra illa, quæ sunt vt exemplar, non possunt recipi in formatrice; quia non possunt recipi nisi in potentia cognitiua: formatrix non est cognitiua. Ergo. Confirmatur. Exemplar non potest dirigere nisi repræsentando; repræsentatio non potest fieri nisi potētiæ cognitiuæ. Ergo. Confirmatur secundo. Quæ agunt ad exemplar, agunt deliberando; formatrix nõ est apta deliberare: ergo non agit ad exēplar. Priora tria argumenta procedunt ex pharetra Iannij; quartum, quod præcipuum est, est meum; quod ego in libello de Viribus imaginationis per modum obiectionis contra positam ibidem conclusionem in medium attuli. Verum respondeo, ad primum. Ad quod causæ genus referatur exemplar, non satis constat inter Philosophos: aliqui ad nullum, aliqui, vt Platonici, ad quintum ac proprium causæ genus referunt: aliqui ad efficientem, nonnulli ad finalem. Aristoteles 2. Physic. tex. 28. retulit ad formalem. Quem sequuntur Albertus, Caietanus, Durandus, Henricus, Didacus Masius, aliique. Pro elucidatione notandum est, duplex esse exemplar; externum & internum. Externum, est res externa, oculis obiecta,

habens

habens esse extra animam: quam artifex sua actione studet imitari, cuique opus suum conatur assimilare. Tale exemplar est statua, imago, ædificium, & quæuis alia res ad imitandum proposita. Internum est aliqua idea operis faciendi concepta in mente artificis; secundum quam ipse studet operari: & illud non habet esse extra animam, sed solummodo residet in mente & intellectu eius; & intellectus sibi ipsi conficit illud. Internum potest habere rationem causæ efficientis, externum non: & ideo cum Philosophi referunt exemplar ad efficientem, intelligunt de interno & non de externo; vt pulchre docet Zoares in Metaphys. disp. 25. sect. 1. Etenim internum eatenus refertur ad efficientem, quatenus agens, per ipsum constituitur in esse perfecto ad operandum: per externum non constituitur in tali esse, quia non est in ipso agente sed extra ipsum; quare illa ratione non potest ad efficientem referri. Non potest etiam referri alia ratione: quia nullam habet actiuitatem effectiuam respectu effectus, sed solummodo obiectiuam respectu artificis. Etenim statua sculptori ad imitandum proposita, quam efficientiam habet, quid agit, quid influit, aut qua ratione effectiue concurrit ad illud opus, quod artifex producit imitando eam? Modo vero simulachra, quæ

ſunt in ſemine, non ſunt ſicut ideæ aut ſicut exemplar internum, ſed ſicut externum. Sicut ergo externum eſt extra artificem & in diuerſis ſubiectis materialibus, argento, auro, ferro, ligno, &c. ita quoq; ſimulachra illa, quæ ſunt exemplar formatricis, poſſunt eſſe extra eam, atque in ſubſtantia corporea; ſemine ſpirituque. Nihilominus tamen poſſunt etiam dici eſſe in ipſa formatrice; ſicut hoc in libello de Viribus imaginationis non negaui, vt ibidem in reſponſione ad ſecundam obiectionem eſt manifeſtum. & tali caſu argumentum nullam habet vim: quia tum etiam ad efficientem referri poſſunt. Etenim ſicut ſimilitudo Petri eſt in tabula externa oculis obiecta & eadem vt apprehenſa, eſt in mente artificis: ita quoque ſimulachra illa poſſunt eſſe in ſemine ſpirituque; & vt modo quodã naturali ſeu inſtinctu quodam admirabili comprehenſa à formatrice, poſſunt etiam eſſe in ipſa. Et ſicut illa ſimilitudo habet rationem efficientis vt eſt in intellectu, & non vt eſt in ſtatua; in ſtatua vero ſolum habet rationem obiecti; ita quoque ſimulachra illa vt comprehenſa à formatrice poſſunt dici habere rationem efficientis; non autem vt ſunt in ſemine, ſanguine menſtruo ſpirituque. In eis enim ſolum habent rationem obiecti; non quidẽ vt cognoſcibilis aut agnoſcibilis

cibilis per veram cognitionem, ſed ſolummodo modo quodam naturali ac mero inſtinctu. Porro ad intentum meum & ad integritatem doctrinæ tum in libello meo de imaginatione tum hoc loco poſitæ, nihil refert, vbinam & in quo ſubiecto ſimulachra illa reſideant, ſed ſufficit reſidere alicubi & ſufficit conformationem fieri ad normam & directionem eorum, vbicunque demum ſint; ſiue in ſemine ſeu ſpiritu ſeu potentia ipſa. Ad ſecundum reſpondeo: actionem agentis ſeu formatricis non eſſe fruſtraneam: quia conatus conformatricis non eſt inducere ſemini ſimulachra repreſentatiua alicuius figuræ, ſed figuram ipſam. Ad tertium: nihil impedit aliquid dirigere & dirigi diuerſa ratione. Poſſunt ſpiritus effectiue dirigi à potentia vt inſtrumentum eius, & obiectiue tamen per aliquam qualitatem intentionalem ſibi inhærentem, dirigere quoque potentiam. Accedit, quod cum dico ſpiritum eſſe inſtrumentum, vel ſequor communem doctrinam, vel intelligo ſolummodo eſſe inſtrumentum lata & impropria inſtrumenti ſignificatione: nēpe vt aliquid ad operandum requiſitū & vt cauſa adiuuans; non vt verum ac proprie dictum inſtrumentum. Teneo enim ſpiritum vel nullarum vel paucarum animæ actionum eſſe verū, effectiuum ac proprie dictū inſtrumentū:

N 2 vt

vt volente Deo etiam aliquando sumus ostẽsuri. Ad quartum, non est opus multũ respondere, cum abunde responderimus in libello nostro de Imaginatione quæstione decimaquinta, pagina centesima quinquagesima. Nego tamen iterum simulachra illa non posse recipi á formatrice, eo quod non sit cognitiua: quia est cognitiua suo modo: non quidem cognitione proprie dicta, quomodo cognitiui sunt sensus & intellectus; sed improprie dicta; seu agnitione quâdam naturali, quæ non est alia quam instinctus: qua etiam plantæ cognoscunt alimentum & vtile trahunt, inutile reiiciunt. quem instinctum brutamque ac cœcam cognoscendi rationem velle negare cœcitatis ac amentiæ est. Atque in hoc consistit error Ianninij, quod hunc instinctum & hanc cognitionem, quæ solum metaphoricẽs & defectu nominum talis appellatur; nequeat à cognitione proprie dicta discernere. Ad confirmationem; nego, non posse illam repræsentationem fieri nisi potentiæ vere cognitiuæ: nihil enim impedit eam etiam fieri posse cognitiuæ per instinctum. Nam sicut formatrix comprehendit illam modo longe diuerso ab eo quo cognoscunt potentiæ vere cogoitiuæ; ita simulachra quoque faciunt illam formatrici modo longe diuerso ab eo, quo fit potentiis vere cognitiuis. Quomodo

autem

autem illam faciant & quomodo formatrix comprehendat ac agnoſcat eam, in arcanis ac inſcrutabilibus naturæ eſt relinquendum: in eoque & formatricis excellentia ac diuinitas & Dei naturæ authoris immenſa maieſtas ſunt ſuſpiciendæ. Ad ſecundam confirmationem reſpondeo: agere deliberando agentia ad exemplar per intellectum, non auté agentia per inſtinctum. Eodem modo videmus agentia per intellectum, cum ex pluribus ſibi propoſitis volunt ſeligere quod optimum eſt, agere deliberando: potentias vero, attractricem, retentricem, expultricem & in animalibus ac plantis, cum ſint brutæ & non agant per intellectum ſed ſolum per inſtinctum; facere idem & eligere quidem quod optimum eſt, expellere quod peſſimum; & tamen non deliberare. Verum obiiciet forte adhuc Iannínius ex communi doctrina Philoſophorũ, nullum agens agere ad exemplar niſi intellectiuum: agentia naturalia non agere ad exéplar, vt patet inductione. Etenim ſol non agit ad exemplar; ignis non generat alium ignem ad exemplar; magnes non trahit ferrum ad exemplar; rhabarbarum non purgat bilem ad exemplar, & ſic de aliis. Verum reſpondeo, diuerſam eſſe rationem agentium per naturam & agentium per animam: agétia per naturam non agunt ad exemplar; at

formatrix, cum ſit agens per animam ac potentia animæ, poteſt habere illam prærogatiuam Ratio autem quare habeat eam præ illis, eſt; quia agentia naturalia ſunt determinata ad vnum effectum, & non producunt niſi vnicum effectum & effectum ſimilem formæ ſuæ: ad illum autem habent ſufficientem ſimilitudinem, exemplar & determinationem à ſua forma, nec habent opus alio determinante. Verum formatrix producit figuras infinitas & ex natura ſua eſt indeterminata & indifferens ad omnes; & ideo debet determinari ab aliquo ad producendum potius hanc quam illam, & producendum modo figuram ac ſimilitudinem aui, modo patris, modo matris, modo figuram imaginatam: & ad producendum figuras tam diuerſarum partium, cordis, cerebri, hepatis & aliarum omnium; ad quas non poteſt ab vllo præterquã ab eiuſmodi ſimulachris ſufficienter determinari. Etenim, ſicut Philoſophi aſſerunt neceſſarium eſſe conſtituere ideas & exemplaria tum in mente diuina tum in mente reliquorum artificum; eo quod intellectus eorum ex ſe ſit indifferens & indeterminatus ad infinita opera diuerſa & propterea debeat determinari ab aliquo ad hoc vel illud; non poſſit autem determinari ab alio quam ab illis: ita quoque propter eandem rationem, cum formatrix ex

ſe

ſe ſit indifferens ad diuerſa opera & diuerſas in fœtu figuras edendas; debet ab aliquo determinari ad hanc potius quam ad illã: à nullo autem ſufficienter determinari poteſt præterquam ab eiuſmodi ſimulachris. Quod animaduertens quoq; doctiſſimus à Veiga com. ſuper cap. 49. artis paruæ, agens de cauſa ſimilitudinis indiuidualis, eam omnem refert ad eiuſmodi idola & ſimulachra à membris parentum in ſemen deriuata; ſecundum quæ formatrix operetur.

Ad quartum fateor ſequi animam rationalem debere introduci ad ſummum tertio die; ſed nego minorem: proinde eius occaſione ſit.

CONCLVSIO vndecima. Anima rationalis infunditur tertio circiter à ſeminis conceptione die. Intellige, ſi conceptus abeat in vitam, & non ſit irritus.

Hæc concluſio eſt omnium paradoxiſſima: probatur autem nonnullis argumentis validiſſimis.

Primo, idem quod conformat fœtum, conformat membranas, vt in argumento, de quo immediate ante concluſionem, fuit aſſumptũ; anima rationalis format fœtum, vt iam eſt demonſtratum: ergo etiam format membranas. Sed quod format membranas, debet tertio circiter die eſſe in ſemine:

ergo anima rationalis debet tertio circiter die esse in semine. dico circiter; quia præcisum tempus non potest dici. Sufficit esse vel ipso die tertio, vel fine secundi, vel principio quarti, vel etiam ipso secundo aut quarto die. Sumo enim tempus certum pro incerto: & sufficit esse circa tertium diem. Ego enim puto adhuc citius infundi. Subsumptum probatur: quod conformat membranas, debet esse in semine, antequam ipsæ conformentur, vel eo ipso quo incipiunt conformari. Causa enim efficiens vel est prior tēpore, vel simul cum suo effectu. at membranæ sunt conformatæ ad summū die quinto aut sexto: ergo ad minimum incipiunt conformari die tertio: ergo quod conformat eas, nimirum anima rationalis, ad minimum tertio die debet semini inesse. Videtur enim ad minimum biduum aut triduum requiri priusquam ipsæ possint esse perfectæ. Habent enim structuram satis artificiosam, & venulas ac arteriolas per substantiam suam decurrētes, quæ non possunt momento tēporis conformari. Quod conformat fœtum, illud ipsum etiam conformare membranas, probo. Etenim non sunt multiplicanda entia sine necessitate: vna & eadem conformatrix, atque vna eademque anima potest omnē, quæ circa semen peragitur, præstare conforma-

tionem:

tionem: ergo vna sola & non plures sunt statuendæ. Ad quid enim plures requirerentur? Omnium partium conformatio simul ac semel, & eodem tempore fieri incipit, etiamsi non omnes æque cito appareant perfectæ; ergo omnium conformatio est ab eadē causa. Nam si esset à diuersis, & si hæc ab hac cōformatrice, alia ab alia fieret, necessario error, & confusio contingeret, & non possent omnia in vnam, & determinatam totius conformationem conspirare. Et quæ, & vnde esset illa alia conformatrix? vel enim esset virtus animæ, & virtus vitalis, vel non esset. Si esset; cuius animæ esset? non animæ semini præinexistentis; quia nulla ei præinexistit, vt est ostensum: non parentum, quia potentiæ animæ parentum non sunt separabiles ab iis, neque semini communicabiles: non alia virtus mortua & non vitalis; quia sic militarent iam contra eam argumenta supra quæstione sexta allata; & sequeretur membranarum, & arteriarum, & venularum per eas decurrentium productionem non esse vitalem, quod est absurdum: non vterus maternus; quia non tangit eas: nusquam enim membranæ per se vtero adnectuntur; & vt extimam membranam tangeret, saltem non tangit vltimam; & sic non posset eam conformare. Et quid impediret quo minus illa eadē

anima, quæ totum fœtum conformat possit etiam conformare membranas? non earum ignobilitas; quia qui potest, quod plus est, potest & quod minus: non earum excellentia; quia anima conformat infinitas partes illis nobiliores. Denique anima conformat tot alias membranas fœtui internas, quare & illas externas & conformat, & conformare potest. Quinimo facere membranas incumbit muneri, & officio illius conformatricis, quæ fœtum debet conformare. Primum enim quod formatrix illa debet facere, est; vt obducat, & obuallet totam seminis substantiam suis membranis, & folliculis, ne à sordibus vteri, & sanguine menstruo adlabentibus conspurcetur eique misceatur: ne substantia seminis diffluat, & dissipetur, & iterum ex vtero excidat: ne calor & spiritus semini inexistentes exhalent, & tenerrimus embryo, cum iam conformari inceptus est, ab vteri duritie atteratur, distorqueatur, ac destruatur. Secundum quod facere debet, est, vt membranis productis ad seminis iam muniti, & bene tecti conformationem se conuertat. Ergo. Secundo, membranæ formantur ex eadem materia ex qua fœtus, nempe semine, ergo ab eadem conformatrice. Tertio,

mem-

membranæ viuunt, ergo formatæ ſunt ab illa anima qua viuunt. Sequela probatur: quia ſicut fœtus formatur ab illa anima qua viuit, ita & membranas formari veroſimile eſt. Antecedens probatur: quia nutriuntur à principio interno, & per introaſſumptionem alimenti, ſicut omnia viuentia; & augentur proportionaliter in omnem dimenſionem, & habent venulas, & arteriolas, per ſubſtantiam ſuam diſſeminatas, & determinatam quantitatem ſui incrementi. Ergo. Denique viuunt omnes internæ membranæ fœtus; ergo & externæ: ſequela probatur; quia ſunt eiuſdem naturæ & ſubſtantiæ cuius internæ, & ſunt comparatæ ad vſum & actionem fœtus tam bene quam internæ. Ergo ſunt partes eius & communi cum illo vita coniunctæ. Quarto. Vaſa vmbilicalia conformantur ab eadem cauſa à qua fœtus: ergo & membranæ. Sequela probatur. Etenim membranæ debent cum venis vmbilicalibus apte coniungi, & vaſa vmbilicalia debent veſtiri ipſis, & ipſas perforare, & pertranſire: illa vnio & colligantia non poteſt fieri à conformatricibus diuerſis; quare neceſſario debet fieri ab vna, & eadem. Antecedens probatur. Vaſa vmbilicalia ſunt, quaſi os, & æſophagus, & pulmo fœtus, per quæ ipſe debet attrahere aerem,

&

& alimentum: at anima fœtus facit os & æsophagũ in fœtu in vſum aſſumendi alimenti in adulto. Ergo illa eadem facit vaſa vmbilicalia in vſum alimenti aſſumendi in embryone. Denique vaſa vmbilicalia idem ſunt in fœtu, quod radices in tenella planta: at radices facit anima plantæ, ſeu illa quæ facit reliquam plantam; ergo & vaſa vmbilicalia facit anima fœtus. Vltimo; vaſa vmbilicalia ſunt vere partes fœtus; nam ingrediuntur abdomen fœtus, & vniuntur arteriis, & venis eius: ergo ab eadem efficiente conformantur, à qua reliquæ partes, & à qua reliquæ venæ eius. Obiiciet aliquis: membranas non conformari ab vlla vi formatrice, ſed ſolum generari à calore vteri, per exſiccationem externæ ſeminis partis, ſicut generatur cruſta in pane à calore furni, & pellicula in lacte à calore ignis: quod confirmatur authoritate Hippocratis lib. de natura pueri textu 3. vbi ſic inquit: *Et genitura inflata membranam acquirit.* Et ſubdit: *Circumtenditur enim quod forinſecus circa ipſam eſt, continuumque euadit, vtpote viſcoſum exiſtens: quemadmodum in pane, dum torretur, tenue quiddam pelliculæ in ſuperficie abſcedit & extat: caleſiens enim panis & inflatus eleuatur, qua parte vero inflatur, iſtic pelliculæ ſpecies exaratur, & conſiſtit. genitura autem calefacta, & inflata ex toto, pellicula forinſecus circũdatur.* Quod

idem

Idem dicit Galenus 1. de femine capite 5. Auicenna 9. de animal. cap. 7. & Albertus libro 9. de animal. tractatu 2. capite 1. & Haly 3. Theoricæ capite 34. & videtur etiam dicere Aristoteles 2. de generat. animalium cap. 4. Verum respondeo ridiculum nimis esse credere membranas fieri à solo calore per seminis torrefactionem. Primo; quia non est tantus in vtero æstus, vt possit talem torrefactionem facere: cum tali enim æstu non posset vita ac fœtus generatio consistere. Secundo; quia sic productio membranarum nõ esset actio vitalis, sed mere Physica, sicut est incrustatio panis. Tertio; quia sic membranarum productio non fieret ex intento naturæ, sed solum de necessitate materiæ, quod est falsum. Natura enim intendit specialiter productionem illarum, tanquam necessariam, & sine quibus conformatio seminis fieri minime posset: & ideo debuit earum fabricationem committere speciali conformatrici, & non committere fortuitæ actioni primarum qualitatum. Quarto; quia fabrica membranarum nimis est artificiosa, quam vt dici possit per solam exsiccationem, & incrustationẽ à calore fieri posse. Authores autem allegati non sic sunt intelligendi, quasi putarint à solo calore earum productionem fieri & non ab alia causa formatrice: sed quod ad earũ conforma-

formationem & productionem, atque exsiccationem multum conferat vteri circumstãtis calor, & seminis glutinositas. Ex crassiore enim, & magis glutinosa seminis parte à facultate conformatrice ad seminis circumferentiam protrusa, eas generari verisimile est: vti patet ex Galeno loco citato; vbi, cum dixisset pelliculam fieri sicut crusta in pane; subiungit hæc verba: *Talem intrinsecus operatur natura seminis pelliculam.* Quibus verbis indicat illam non à solo calore, sed à seminis conformatrice fieri: & Auicenna loco citato expresse negat membranas à calore fieri, sed solum eam opinionem adscribit Galeno, & Aristoteli; eoque nomine reprehendit eos, & dicit fieri à potentia conformatrice, & probat tribus rationibus. Primo: quia vterus est calidus & humidus, & sic eius actio non potest esse assatio. Secundo: quia si vterus per suum calorem circa semen produceret tales pelliculas, etiam stomachus & hepar, quæ non minori calore prædita sunt, circa chylum, & sanguinem, quos in se generant, tales quoque producere deberent. Tertio, inquit, quia sic sequeretur causam conformatricem esse externam, quod est absurdum. Quæ eadem ab Auicenna mutuatus dicit Albertus 9. de animalibus tractatu 2. capite 2. adiungens, stultum esse hoc dice-

dicere omninoque esse asserendum, omnium quæ circa fœtum sunt operum, effectricem esse facultatem conformatricem. Quinto. Animam esse in semine cum membranæ generantur probatur authoritate Hippocratis libro de natura pueri, vbi ait in hæc verba: *Genitura quidem in vtroque sinu seorsim existens pelliculas induit, & viuificatur:* quibus verbis manifeste videtur indicare, tum semen viuificari, cum membranæ incipiunt produci. Cæterum membranas esse conformatas die quinto, vel die sexto, quod fuit assumptum, probatur experientia & authoritate: quinimo illis probatur non solum die sexto, sed & quinto & quarto esse conformatas: quo casu sequeretur, non solum tertio sed forte & secundo à conceptione die inceptas esse conformari; eoque tempore iam animam semini fuisse infusam. Diocles Carystius, & Straton Peripateticus apud Macrobium libro I. in somnium Scipionis capite 6. dicunt prima hebdomade semen folliculo includi. Hippocrates libro de natura pueri, agens de genitura quæ Psaltriæ sexto à conceptione die exciderat, dicit illam fuisse pellicula obductam. Alio loco habet hæc verba. *Genitura postquam permixta est, & retenta fuerit, quocumque die, & hora excernatur, pellicula*

quasi

quasi crusta perpetuo tecta cernitur. Galenus 1. de semine capite 4. de tẽpore generationis earũ sic inquit: *Membrana siquidem apparet, quæ fœtũ ipsum statim vbi primum conceptus est, siue paucorum, siue multorum sit dierum, vndequaque circũdata continet. Sæpenumero enim mulieribus post tres aut quatuor à principio dies semen ipsum membrana circumuolutum excidere consueuit*. Et capite 10. eiusdem libri, postquam sermonem habuisset de tribus fœtum inuoluentibus mẽbranis sic inquit: *Nullaque alia præter has est membrana, quæ in primis statim diebus necessario generetur: neque enim ad omnes procreandas seminis substantia à principio satis fuisset*. Et ibidem cap. 14. disputans quæ membrana primo generetur, dicit agninam à prima mox conceptione fieri; reliquarum nullam in primis diebus necessariam habere generationem. Nullus modernorum Anatomicorum est, qui nõ fateatur sexto vel septimo die esse absolutas; memini me legisse aliquem, sed nominis non recordor, qui scribat se vidisse genituram quarto à conceptione die elapsam, & fuisse membrana contectam.

Secundo principaliter probatur conclusio. Ad hoc, vt anima introducatur, non est opus alia actione, quam vt semina in vtero virtute ac calore eius misceantur, fermententur, & actuentur. Eo facto, in medio eorum, in mi-

nimam particulam à Deo Opt. Max. introducitur seu potius increatur anima rationalis. Ad talem mixtionem, fermentationem, & actuationem non est opus longa mora temporis; sed videtur ad summum tridui sufficere. Natura enim ne momento quidem est otiosa; sed mox à concepto semine incipit operari in illud; ergo illo tempore poterit, imo debebit anima rationalis introduci. Cōfirmatur. Cibus & panis, qui tam multas pertranseunt coctiones & generationes, possunt bidui, vel tridui spacio & longe citius transire in substantiam corporis nostri, & animari, ergo & semen. In cauis vlceribus vna nocte sæpe caro generatur, & sanguis ad ipsum fluens animatur. Ergo. Confirmatur secundo: semini in testibus existenti sunt inductæ vltimæ ad animæ introductionem dispositiones: ergo non est opus vlteriore magna eius in vtero alteratione, aut elaboratione; sed quam citissime poterit animari. Antecedens infra probabitur; pro nunc ostenditur exemplo seminum plantalium, quibus sic vltimæ dispositiones sunt impressæ, vt sæpe sponte sua in tabulatis valeant germinare.

Obiiciet aliquis: præfatæ conclusioni aduersantur sacræ literæ, ac sanctorum Patrum authoritas, ac sacri Canones: ergo est falsa. Sequela est certa. Antecedens proba-

tur. Exodi 21. iuxta interpretationem septuaginta habentur hæc verba: Ἐὰν δὲ μάχωνται δύο ἄνδρες, καὶ πατάξωσι γυναῖκα ἐν γαστρὶ ἔχουσαν, καὶ ἐξέλθῃ τὸ παιδίον αὐτῆς μὴ ἐξεικονισμένον, ἐπιζήμιον ζημιωθήσεται, καθότι ἐὰν ἐπιβάλῃ ὁ ἀνὴρ τῆς γυναικὸς, καὶ δώσει μετὰ ἀξιώματος. ἐὰν δὲ ἐξεικονισμένον ᾖ, δώσει ψυχὴν ἀντὶ ψυχῆς, ὀφθαλμὸν ἀντὶ ὀφθαλμοῦ, ὀδόντα ἀντὶ ὀδόντος, χεῖρα ἀντὶ χειρὸς, πόδα ἀντὶ ποδός. &c. Quæ Latine sic sonant: *Si autem pugnauerint duo viri, & percusserint mulierem in ventre habentem, & egressus fuerit infans eius non figuratus, mulcta mulctabitur, secundum quod imposuerit vir mulieris, & dabit cum postulatione. Si vero figuratus erat, dabit animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede.* Hisce enim verbis indicat scriptura, tunc solum fœtum viuere anima rationali, cum est perfecte organizatus. Minime vero; cum non est organizatus: ideo enim iudicat debere percussorem dare animam pro anima cum fœtus est organizatus, quia tum fœtus est animatus, & percussor tum perdidit animam eius: & debere solum dare mulctam cum non est organizatus; quia tunc non est animatus, & non perdidit animam eius. Denique in Genesi habetur Deum fecisse Adamum de limo terræ, & in eum iam factum & organizatum inspirasse spiraculum vitæ; si non inspirauit nisi in iam factum, & organizatum, ergo anima non est inspirabilis

nisi

nisi in corpus organizatum. Quem locum explicans D. Augustinus libro 1. quæstionum veteris & noui testamenti capite 23. vt habetur c. *Moyses* 32. q. 2. dicit animam non posse esse, priusquam lineamenta corporis sint facta, nec prius habitatorem posse introduci, quam habitatio sit facta. Et in Enchiridio ad Laurentium dicit informes fœtus non esse resurrecturos, eo quod non sint animati. Porro & D. Hieronymus ad Algasiam quæstione 4. vt est in canone sequente, *Sicuti*, dicit semina paulatim conformari in vtero, & tamdiu non reputari hominem, donec elementa confecta suas imagines membraque suscipiant. Et *L. Si quis §. qui abortionis ff. de pœnis* habetur; quod si quis dederit poculum amatorium aut abortiuum & mater vel fœtus iam homo existens pereat, eum summo supplicio esse afficiendum: quibus verbis hoc saltem colligi posse videtur, non omni tempore esse hominē; sed aliquod tempus longū intercedere quo adhuc non sit homo, sed homo fiat, quo qui eū perdiderit homicidij reus nō sit. Porro & Lactātius libro de opificio Dei capite 7. dicit non statim post conceptū animam in fœtum insinuari, sed protinus tum inquit, *Cum fœtum in vtero necessitas diuina formarit*. Quod cap. 12. circa idē quadragesimū esse asserit. Adeo vt Conimbricēses 2. de anima, q. 14.

articulo 1. audeant aſſerere opinionem dicentium animam citiſſime, & ante organizationem infundi, falſam ac erroneam eſſe.

Aduerſari etiam videntur nonnulla Hippocratis, & Galeni loca. Etenim Hippocrates libro de natura pueri conſuluit pſaltriæ iam ſextum diem grauidæ, vt ſaltando ſemen coitu receptum excuteret, quod non videtur facturus fuiſſe, ſi talem ſex dierum conceptum anima rationali præditum eſſe iudicaſſet. Nam qui in ſuo iureiurando iurauit ſe nunquam abortiuum eſſe exhibiturum, equidem religioni quoque habuiſſet fœtus iam animati deperditionem infami mulieri ſuadere. Galenus libro de fœtus formatione capite 3. & 1. de ſemine capite 9. ſecutus Ariſtotelem, docet in ſemen primo animam vegetatiuam, deinde ſenſitiuam, tandem rationalem induci: ex quo manifeſte colligi poteſt eum voluiſſe rationalem, non ſtatim poſt conceptionem, ſed ſero introduci. Ariſtoteles porro cum illam ſucceſſionem animarum in ſemen 2. de generatione animaliũ capite 3. aliiſque locis aperte tradiderit, eiuſdem quoque opinionis fuiſſe cenſendus eſt. Præterquam quod aliud quoque opinionis eius argumentum deſumi poſſit, ex 7. Politicorum capite 18. vbi dicit in repub. licere ſine iniquitate ἀμβλωσιν, id eſt fœtus deperditionem

insti-

instituere, quamdiu fœtus sensu, ac vita præditus non fuerit. Ex illo enim loco colligi videtur opinionem eius esse, aliquo longo spatio fœtum sine vita esse, quo durante ἄμβλωσις institui possit. Nam si secundo, vel tertio die eum animari ac viuere credidisset, vtique nullo vnquam tempore ἄμβλωσιν licitam esse dixisset, sed absolute eam vetuisset, cum dicat nefas esse fœtum perdere, cum iam sensu ac vita præditus est.

Verum respondeo: & primum ad locum sacræ scripturæ Exodi 21. dico textum Græcum, qui est ex translatione septuaginta Interpretum, ita quidem habere: sed Latinum non. Teneri vero nos ad credendum textui Latino, qui authenticus est & ab Ecclesia approbatus, & nobis ad legendum propositus, & non textui Græco, qui aliquando habet errores. Textus autem Latinus longe aliter habet, & nullam organizationis perfectæ aut imperfectæ facit mētionem. Verba eius sunt hæc: *Si duo viri rixati fuerint, & vnus percusserit mulierem prægnantem & abortum fecerit, sed ipsa vixerit, subiacebit damno, quantum maritus mulieris expetiuerit*, &c. *Si autem mors eius fuerit subsecuta, dabit animam pro anima*, &c. Quæ verba nullam mortis fœtus, sed solum matris faciunt mentionem. Cui consentit & translatio Sanctis Pagnini ex Hebraico, vt est in editio-

ne bibliorum Keerbergianorum anni 1616. qui ſic habet. *Et ſi rixati fuerint viri, & percuſſerint mulierem prægnantem, & egreſsi fuerint nati eius, & non fuerit mors; puniendo punietur quemadmodum impoſuerit ei maritus mulieris, & dabit vt ſtatuerint iudices. Et ſi mors fuerit, dabit animam pro anima.* Ex quibus verbis colligi non poteſt de cuius morte ſermo ſit, mulieris an fœtus; & vt de fœtu eſſet intelligenda, nulla tamen conformationis eius mentio fit. Nihilominus tamen; quia textus Græcus in Eccleſia magnæ ſaltem eſt authoritatis; ideo etiam ad eum reſpondeo, & dico eum concluſioni noſtræ non refragari. Etenim non vult ibi ſcriptura dicere fœtum, qui adhuc eſt informis, & necdum organizatus, non eſſe animatum; ſed ſolum qui adhuc neque ſenſum neque motum habet, non eſſe adhuc hominem perfectum, ſed ſolum imperfectum; & ideo qui deperditionem, aut interemptionē illius cauſauerit, non eſſe caſtigandum morte, ac ſi perfectum hominem interemiſſet; ſed ſolum graui aliqua mulcta mulctandum. Contra, qui perfectum iam hominem interemerit, & tam perfectum, vt ſenſum & motum habeat, qualis eſt, qui iam perfecte eſt organizatus, morte eſſe mulctandum. Ad locū ex Geneſi allegatum reſpondeo eum nihil probare. Non enim ſequitur; Deus tunc in

mundi

mundi exordio infudit animam in Adamum iam organizatum; ergo nunc etiam semper infundit in semen organizatum; quia Deus in prima mũdi creatione non produxit res, sicut nunc producit: tunc produxit hominem in instanti perfectum; nunc paulatim nouem mensium spacio perficiendum: tunc produxit arbores perfectas, nunc ex semine generandas. Si argumentum teneret, & si necessarium esset, nunc eodem plane tempore animam infundi quo tunc fuit infusa; sequeretur quod nunc quoque non deberet infundi nisi quãdo homo in illa perfectione esset constitutus, in qua fuit Adamus, quando ei anima à Deo fuit inspirata. Hisce consentit D. Augustinus super Exodum, explicãs præallegatum locum 21. Exodi; vbi dicit solere agitari quæstioné, vtrum semen, quod formatum non est, non sit animatum, & vtrum expulisse fœtum informé non sit homicidium; & dicit, quia corpus, quamdiu est ruditer organizatũ, tãdiu quoque non est nisi ruditer animatũ; ideo legé statuisse talé abortus expulsioné nõ esse habédam pro homicidio: eo quod, & si quidé possit realiter esse animatus, tamé tã ruditer sit animatus, vt adhuc sésum nõ habeat, nec pro homine perfecto possit haberi, quia non prius césetur fœtus esse homo perfectus, quã sensum motũq; habeat. Et ita nõ asserit D. Augustinus animã

tum primum infundi cum corpus est perfecte organizatum, sed relinquit sub dubio, & dicit quæstionem de introductione animæ non esse temere præcipitandam, vel de ea aliquid statuendum. In Enchiridio autem ad Laurentium videtur quidem dicere quod in argumēto est allegatum: tamen nihil resoluit, & sub dubio relinquit, & declarat sciri non posse quando anima infundatur. Verba eius sunt hæc: *Ac per hoc scrupulosissime quidem inter doctissimos quæri, ac disputari potest; quod vtrum ab homine inueniri possit ignoro: quando incipiat homo in vtero viuere: vtrum sit quædam vita, & occulta, quæ nondum motibus viuentis appareat.* Quibus conforme & hoc est, quod D. Hieronymus libro 2. Apologiæ aduersus Ruffinū agens de animæ productione, dubitantem an sit ex traduce, an à prima mundi creatione corpori præfuerit, an vere quotidie à Deo creetur, & in corpus præorganizatum infundatur; nihil resoluit, sed rem sub dubio relinquit. Ex quibus omnibus manifestum est nihil in hac materia esse definitum; & nullum à Sanctis Patribus contra positam conclusionem desumi posse argumentum, sed licere vnicuique super ea adhuc pro ingenio philosophari. Patet etiam nimis temere, atque inconsiderate loqui Conimbricenses, quando positam in conclusione doctrinam, tam falsis

ac

ac friuolis ducti argumentis, & tam dubia Patrum moti authoritate erroris audent insimulare.

Ad allegatas Hippocratis, Galeni, & Aristotelis authoritates; respondeo: eorum doctrinam circa hanc rem esse dubiam & obscuram, verbaque talia, vt in omnem opinionem trahi possint. Proinde ab eorum authoritate non posse quoque validum contra conclusionem depromi argumentum. Etenim Galenus, etsi variis locis conformationem virtuti seminis adscribat, plurimis tamen de ea dubitat; & quæ qualisque sit, fatetur se ignorare. Et quamuis multis dubitet an anima suum corpus conformet, multis tamen è cõtra, vt capite 5. & 6. libri de fœtus formatione sic de eo loquitur, vt in partem aientem videatur inclinare: vti supra in probatione cõclusionis octauæ, vbi eius loca in mediũ sunt allegata, est ostensum. In re tam dubia, & tam difficili, & de qua omnes ambigunt, non est multum authoritati tribuẽdum. Etenim alius hoc, alius aliud dicit. Audiamus nonnullorũ opiniones. Soranus Ephesius antiquus Medicus in sua Isagoge capite 17. dicit animam rationalem primum infundi tertio mense. Auicenna libro 16. de animal. capite 1. *Quando*, inquit, *cor & cerebrum in fœtu reperiuntur, tunc coniungitur cũ eo anima rationalis.* Auerrhoes in

libris de anima, tum primum asserit animam rationalem infundi, quando pueri patrem & matrem possunt appellare. Occamus 2. de generatione animalium capite 3. & Fernelius libro 7. de procreatione hominis capite 13. tum primum asserunt animam rationalem infundi, cum foetus non ruditer, vt alij putant, sed perfecte iam est conformatus: quod putant demum esse tertio vel quarto mense. Ferdinandus Mena Regius Medicus commẽto super caput 14. libri Hippocratis de septimestri partu, asserit eam die septimo infundi: cui videntur consentire verba Hippocratis libro de carnibus, quæ sic habent. *Porro vita hominis septem dierum est. primum enim postquã genitura in vteros peruenit in septem diebus habet quæcumque corpus habere debet.* Et etiam quæ habet Plinius lib. 10. c. 63. quæ sic sonant. *Et mulier septimo die concipere facile creditur.* Quæ non de tempore, quo mulier post partum iterum concipere possit, vt aliqui putant, sed de tempore animationis sunt intelligenda. Nonnulli Theologi ac iurisperiti tenent animam rationalem masculis infũdi die quadragesimo; foemellis die octogesimo: & colligunt ex eo quod Moyses legem tulerit 12. Leuitici, vt mulier quæ marem peperisset, purificaretur in quadraginta diebus; quæ vero foemellam, in octoginta: putant enim hoc Moysem fecisse

ex

ex eo, quod maſculis die quadrageſimo, fœmellis vero non niſi octogeſimo anima rationalis infunditur. Quod videntur ſequi Zoares tomo 2. in 3. partem diſputat. 10. ſectione 2. Maldonatus in caput 2. Lucæ, & Toletus ibidem annotat. 24. & nonnulli alij. Plerique omnes Medici ac Philoſophi tenent eam infundi maſculis die trigeſimo, fœmellis quadrageſimo ſecundo. Ita Henricus de Gandauo quodlibeto 15. quæſtione 13. Laurentius libro 8. quæſtione 18. Peramatus libro de hominis procreatione capite 3. Mercatus libro 1. parte 5. claſſe 1. quæſtione 140.

Atque hæc ſufficiunt pro veritate huius concluſionis. Reſtat modo examinare, quod ſupra fuit promiſſum, qualis potentia ſit generatiua, & an conformatrix ſit generatiua, ac ſpecies eius, necne. Eſſe enim, fuit aſſumptum in argumento quarto allato in principio quæſtionis ſeptimæ contra concluſionem octauam; ad probandum, conformatricem non eſſe in anima fœtus, quod in concluſione erat poſitum: ex eo, quod ipſa ſit ſpecies generatiuæ, quam conſtat non eſſe in fœtu, ſed in generante. Fuit autem ibi in reſponſione ad argumentum negatum, formatricem eſſe generatiuam, ſeu ſpeciem eius; verũ non fuit probatum, neque

oppoſi-

oppositum sufficienter refutatum, eo quod illud ibi agitare nimis longum fuisset, & ordinem quæstionum ac conclusionum nimis turbasset, & obscurasset. Quapropter vt hic probetur, & examinetur, omnino est necessum. Nisi enim ita fiat & nisi ostendatur formatricem non esse generatricem vel speciẽ eius, sed esse potentiam à generatiua diuersam; maneret argumentum ibi allatum in vigore, & non solum veritas conclusionis ibi positæ; sed & reliquarum omnium subsequentium, ex illa, tanquam fundamento dependentium, labefactaretur, ac destrueretur. Sit ergo:

QVÆSTIO IX.

An potentia Conformatrix sit generatiua, seu species eius.

VIdetur quod sic. Primo authoritate. Etenim Galenus 1. de facultatibus naturalibus capite 5. agens de potentiis animæ vegetatiuæ, dicit generatricem constare ex formatrice & alteratrice his verbis: *Verum generatio simplex quædam actio naturæ non est; sed ex alteratione formationeque composita. vt enim os fiat, item neruus, vena, & reliquarum quælibet, altera-*

teratam oportet esse, vnde animal fit, substantiam. vt vero conuenientem figuram & posituram & cauitates quasdam, & vel enata, vel adnata, aliaque id genus habeat, effingi eam oportet, quæ alteratur, materiam. Et capite 6. dicit, naturã, vt partes crearet, vsam generatricẽ, alteratriceque potentia; vbi manifestum est ipsum per generatricem potentiam intelligere conformatricẽ. Idem docet Auicenna Fen 1. primi, doctrina 6. capite 2. his verbis: *Generatiuæ virtutis duæ sunt species: vna quæ in masculis & fœminis sperma generat; altera est quæ diuidit virtutes quæ sunt in spermate: & permiscet eam temperando secundum quod vnicuique conuenit membro, dãs neruo complexionem propriam, & ossi complexionem propriam. Hoc tamen totum prouenit de spermate similium partium, & similis permixtionis. & hanc quidem virtutem vocant Medici, virtutem immutatiuam primam. Virtus vero conformatiua imprimens est illa, ex qua præcepto sui creatoris procedit membrorum lineatio, & figuratio.* Et libro de anima parte 2. capite 1. habet hæc verba: *Generatiua habet duas actiones, quarum vna est creare corpus, & figurare, & formare: altera est attribuere partibus eius in permutatione secũda formas earum; id est virtutes, dimensiones, & numeros, & figuras, & asperitatem, & leuitatem, & his adhærentia, cui inseruiunt nutritiua, & auctiua, quæ cum auctum habet quasi ad perfectionem corpus,*

resurgit

resurgit generatiua, & generat sperma, & semen in quo quiescit virtus eiusdem generis procreandi; vt conseruet species. Eandem doctrinam docent omnes Medici, Fernelius, Peramatus, Christophorus à Veiga, Vallesius, Zegarra, Mercatus, Carrerius, Ioubertus, & alij infiniti.

Probatur secundo ratione. Officium generatiuæ est generare sibi simile: simile generatur ex semine per ipsius conformationem, & immutationem: ergo officium generatiuæ est ipsum conformare & immutare; & consequenter conformatio, & immutatio sunt actiones eius. Si illæ sunt actiones eius, ergo in quantum conformat, merito vocatur conformatrix: & in quantum immutat partes seminis ad naturam ossis, carnis, &c. merito vocatur immutatrix. Ergo conformatrix & immutatrix sunt generatiua ac species eius.

Tertio: conformatio & immutatio sunt ipsa generatio: ergo conformatrix & immutatrix sunt ipsa generatrix. Sequela est bona. Antecedens probatur. Aliqua istarum trium est generatio; vel scilicet seminis productio, vel eius emissio in vterum, vel eius in vtero immutatio, & conformatio: non est seminis productio. nam seminis productio, nihil est aliud quam concoctio, quæ à genera-

neratione est diuersa. Non seminis emissio; quia illa non est nisi motus localis. generatio autem non est motus localis, neque motus ad vbi, sed motus ad substantiam: ergo est ipsa conformatio, & immutatio. Confirmatur. Non prius dicitur fœtus generari, quàm semen iam incipiat in vtero conformari: nam si aliquot post conceptionem diebus effluat, & nulla in ipso appareant signa conformationis, nulla dicitur incepta fuisse generatio: at si exeat cum notis conformationis, dicitur generatio incepta: ergo conformatio est generatio, & consequenter, vt dictum est, conformatrix est generatrix.

Quarto. Productio vltimarum dispositionum in semine, est hominis generatio: essentiam enim animæ rationalis, vt dictum est, potentia generatrix non attingit. Sed organizatio, & immutatio sunt vltimæ dispositiones ad animam; ergo sunt ipsa generatio: generatiua potentia facit generationem: ergo facit conformationem, & immutationem: & consequenter generatrix est conformatrix ac è contra.

Quinto, si conformatrix non sit generatiua, qualis potentia est? absque dubio debet contineri sub vegetatiua ac esse species eius. At vegetatiuæ species non sunt nisi tres, generatiua, nutrix, & auctrix; non

est

est nutrix, non auctrix: ergo generatrix.

CONCLVSIO duodecima. Conformatrix & immutatrix non sunt potentia generatiua, nec species eius.

Probatur primo. Conformatrix, & immutatrix sunt in semine, vt conclusione tertia est probatum: potentia generatiua non est in semine, sed in corpore, & testibus parentum; ergo conformatrix, & immutatrix non sunt generatiua. Hic ab aduersariis alterum est respondendum: vel generatiuam, quæ est in testibus, etiam esse in semine, eique esse communicatam; proindeque vitalem illam potentiam generatiuã, quæ est in testibus, quæque est potentia animæ parentum, realiter etiam esse in semine: vel non esse quidem illam in semine, sed aliquam aliam virtutem impressam ab illa generatiua primaria, vicariam illius: quæ ea ratione possit aliquo modo vocari generatiua, quod illius primariæ vices gerat, in eiusque virtute, & tanquam eius instrumentum operetur. Primum dici nõ potest: quia potentia non migrat de subiecto in subiectum, nec ab anima est separabilis, nec vlli alteri corpori communicabilis. Secundũ non magis: quia si hoc diceretur; sequerentur duo; & quod vera generatiua non esset alia quam spermatifica, & sic haberem intentum; hoc enim infra sum probaturus: & quod illa

illa generatiua, quam dicunt esse in semine, non esset vera generatiua, nec potentia vitalis, nec illa eadem generatiua, quæ est in parentibus, sed solum vicaria, & ancilla eius, & nomine tenus solummodo generatiua : imo specie, & essentialiter ab illa diuersa. Et consequenter (cum secundum ipsos illa sit conformatrix) quod conformatrix non esset generatiua; quod est positum in quæstione, & in conclusione assertum.

Secundo. Potentia, quæ potest dici conformatrix vel immutatrix, debet esse illa quæ facit conformationem & immutationem : at generatiua parentum, quæ est vera generatiua, non facit conformationem & immutationem; neque per se, neque per aliud : ergo non est conformatrix vel immutatrix. Minor probatur : non per se; quia hoc est probatum conclusione quinta ; est enim absens : non per aliud seu per virtutem semini impressam; quia hoc etiam est probatum conclusione septima. Ergo nulla ratione.

Tertio. In nobis est quædam conformatrix, & immutatrix ; nam in nobis est quædã virtus, quæ adhuc aliquas partes postmodum conformat, vt dentes sophronisteras, &c. & est etiam quædam virtus, quæ alimentum in os & carnem commutat. Illæ absque dubio sunt eædem virtutes, quæ primam seminis

P fece-

fecerunt conformationem, & primam eius in os, carnem, &c. mutationem: illæ non sunt generatiua; quia generatiua est in parentibus, & non in nobis. Ergo conformatrix & immutatrix non sunt generatiua.

Quarto. Potentia generatiua est in testibus: at illa potentia quæ est in testibus non facit aliud quam producere semen, & non conformat vel immutat; id est ad substantiam ossis, carnis, &c. non conuertit: ergo generatiua non est conformatrix vel immutatrix. Confirmatur: potentia non subiectatur nisi in illis partibus, ac in illis organis, in quibus est apta operari; conformatrix, & immutatrix non sunt aptæ operari, id est conformare, & immutare in testibus: ergo non subiectantur in illis; & consequenter ergo non sunt generatiua; quia generatiua est in iis.

Quinto. Potentia residens in testibus producit semen, vt est manifestum; ergo non potest facere conformationem vel immutationem. Sequela probatur; quia facere semen, & semen conformare, ac ad naturam ossis, carnis, nerui conuertere, sunt actiones toto genere distinctæ; at actiones toto genere distinctæ, non possunt ab vna, & eadem potentia proficisci. Ergo, quæ residet in testibus non est conformatrix vel immutatrix. Illa tamen est generatiua: ergo conformatrix

trix & immutatrix non ſunt generatiua.

Ad argumenta in contrarium reſpondeo. Ad authoritates Galeni & Auicennæ dico eos loqui conſentanee ſuis fundamentis: verum doctrinam eſſe falſam. Error autem ex eo procedit; quod veram cauſam conformatricem non cognouerint: & conformationem quam debebant adſcribere animæ introductæ, ſeu animæ fœtus, adſcripſerint animæ generantis. Etenim poſito quod conformatio eſſet actio generantis, neceſſum eſſet dicere; conformatricem eſſe generatiuam; vel ſi non eſſet realiter generatiua, ſaltem aliquo modo poſſe appellari talem eo quod eſſet virtus vicaria generatiuæ, à generatiua producta, & inſtrumẽtum eius, agens in virtute eius. At hoc eſt falſum: falſum enim eſt conformationem eſſe actionem generantis; quare & omnia reliqua falſa ſunt, quæ exinde ſequuntur.

Ad ſecundum reſpondeo. Generationem non fieri per ſeminis conformationem, aut immutationem: illæ enim ſunt actiones generatione poſteriores, vt ſæpe dictum eſt, ſed ſolum per ſeminis productionem, & vltimarum in eo diſpoſitionum ad animæ receptionem neceſſariarum, introductionem, atque ad locũ conueniẽtem applicationem.

Ad tertium, nego antecedens. Etenim, vt iã

dictum est, conformatio & immutatio non sunt ipsa generatio, sed seminis productio. Ad confirmationem dico: ex eo quod tunc colligatur, & dicatur esse facta generatio, quando apparet conformatio; non sequitur conformationem esse generationem; sed solum esse signũ factæ generationis. Ideo enim colligitur esse facta generatio, quia conformatio est effectus generationis seu animæ introductæ, & actio generatione posterior. ex effectu enim tanquam ex signo cognoscitur causa, & ex actione posteriore cognoscitur prior. Quamdiu non apparet conformatio, sciri non potest an anima sit introducta, & an generatio sit facta necne: quia animæ introductio non potest alio signo cognosci quam sua operatione: prima autem eius operatio, est conformatio; & ideo quando illa apparet, colligitur certo esse introducta: alias non.

Ad quartum, nego minorem. Conformatio enim, vt iam dictum est, non est dispositio ad animæ introductionem, sed operatio, & effectus introductæ.

Ad quintum, respondeo esse nutritiuam: pro quo sit

CONCLVSIO decimatertia. Potentia generatiua non est alia quam spermatifica.

Potentiam spermatificam pertinere ad gene-

neratiuam, & includi ſub illa, & munus generatiuæ etiam eſſe producere ſemen, docet Ariſtoteles 2. de generatione capite 1. his verbis: *At vero ſemen prius fiat oportet, idque officium generantis eſt.* Et Auicenna Fen 1. primi doctrina 6. capite 2. his verbis: *Generatiuæ virtutis duæ ſunt ſpecies, vna quæ in maſculis & fœminis ſperma generat: altera quæ diuidit virtutes quæ ſunt in ſpermate,* &c. Quod idem aſſerunt Gandauenſis 2. de anima quæſtione 13. Gentilis ad locum Auicennæ citatum; Carrerius, Mercatus, & nonnulli alij. Verum in eo errant omnes, quod generatiuam faciāt multiplicem, & vltra hoc quod dicant eſſe ſpermatificam etiam dicant eſſe conformatricem, & immutatricem; quod eſt falſum, & cuius contrarium iam oſtendi. Porro eſſe ſpermatificam, præterquam quod ſequatur ex concluſione præcedente, ſic ſpecialiter adhuc probo.

Primo. Potentia generatiua, eſt potentia animæ generantis, & eſt in generante: ſed in generante nulla inuenitur potentia, quæ poſſit dici eſſe generatiua, quam ſpermatifica; & nulla reperitur eſſe actio, quæ poſſit dici eſſe generatio, quam illa qua producitur ſperma; ergo illa eſt generatiua.

Secundo. Potentia generatiua vel eſt conformatrix, & immutatrix, vel eſt ſpermatifica,

 conclu-

conclusione præcedente probatum est, neque esse conformatricem neque immutatricem: ergo est spermatifica.

Tertio. Producere animam in semine est generare. producere essentialiter animam, vel producere ipsam animæ substantiam, non est in potestate hominis; quia illa producitur à Deo, vt dictum est: ergo producere animam dispositiue, id est producere in semine omnes dispositiones ad animæ introductionem à Deo faciendam necessarias, est generare: aliter enim, & alias homo generare non potest. At producere semen; est producere in semine omnes dispositiones necessarias: quãdo enim producitur semen, producuntur pariter in eo omnes dispositiones ad animæ introductionem necessariæ: ergo productio seminis est ipsa generatio; & consequenter ergo productiua seminis, seu spermatifica est generatiua. Quod productione seminis producantur omnes dispositiones necessariæ ad animam probo. Quia ante animæ introductionem nullæ aliæ producuntur, quam quæ in testibus sunt productæ; & præter illas nullæ aliæ sunt necessariæ. Ergo. Etenim cõformatio & immutatio non sunt dispositiones ad animam, vt dictum est, sed actiones ab anima, & actiones anima producta posteriores. Quænam ergo aliæ dispositiones requi-

requiruntur? Vel vbi, & quo loco producuntur? Dices in vtero mulieris adhuc alias produci. Verum falſum eſt: & vt eſſet verum; ſaltem per hoc non probaretur virtutem generatiuam, eſſe conformatricem vel ſeminis immutatricem, quod eſt in quæſtione; ſed ſolum generatiuam eſſe in vtero: quod cõcluſione ſecunda oſtenſum quoque eſt eſſe falſum: & nullam eſſe in mare, ſed ſolum in fœmina, vel ſaltem præcipuam eſſe in fœmina, quod facile concedo & nihil habet abſurdi. Quia illa potentia, quæ vltimas, ac nobiliſſimas produceret diſpoſitiones, eſſet maxime generatiua, ac aliarum nobiliſſima. Quod autẽ vterus nullã vlteriorẽ producat in ſemine diſpoſitionẽ, præter illas quæ in teſtibus ſunt productæ; probo: primo; ſemini producto in arbore nulla alia imprimitur diſpoſitio quã quæ in arbore, ac ſeminis generatione fuit producta; ergo neque ſemini animaliũ imprimitur alia quã quæ in teſtibus fuit producta. Sequela eſt bona. Antecedens probatur: nam à quo produceretur? Si ab aliquo produceretur, deberet produci à terra: at nõ producitur ab illa; quia ſæpe ſemina germinãt extra terram; & cum infinitæ herbæ diuerſæ ſpeciei creſcant in terra; deberet terra ſingulis proprias, ac diuerſas, & ſpecie differẽtes imprimere diſpoſitiones, quod eſt impoſſibile,

Ergo. Secundo: quia ouo, quod est proportionale ſemini, nulla alia imprimitur diſpoſitio quam illa, quæ in prima oui productione fuit impreſſa. Nam à quo imprimeretur: ſi ab aliquo; vtique ab aue incubante: at ab illa non imprimitur; quia oua ſæpe viuificantur in fimetis, & in furno, vt tradunt Ariſtoteles, Scaliger, & nonnulli alij. Denique; quia ſæpe eis incubat auis alterius ſpeciei, quæ non poteſt imprimere diſpoſitionem ad productionem ſpeciei diuerſæ. Tertio: quia auis incubans eſt extra ouum; talis autē nullam ei amplius poteſt imprimere diſpoſitionem, præter illam quam ex ante habuit.

Quarto, ſemen inſectorum & ranarum & alia, cum aqua imprudenter potata aliquando in ſtomacho animantur, & viuificantur. Talibus à ſtomacho nulla vlterior imprimitur ad ſenſitiuam animam diſpoſitio. Ergo. Etenim ſtomachus non habet poteſtatem imprimendi eam, ſed ſolum calore ſuo actuat: quā actuationem non eſſe ipſam generationem ex eo patet, quod alioquin ſtomachus eſſet efficiens generationis eorum; quod eſt falſum. Non enim ſtomachus eſt generans eorum, ſed rana quæ ſemen produxit, ac in foſſam emiſit. Eadem ratio eſt de ſemine humano. Nulla enim excogitari poteſt propter quam ei magis debeant nouæ aliquæ alicubi diſpoſi-

tiones

tiones introduci, quam semini tum plantarū, tum auium. Ergo. Obiicies; si nullæ nouæ dispositiones introducerētur, semine in testibus genito iam esset facta generatio: at hoc est falsum. Ergo. Nam si hoc esset verum, Religiosi, castæ virgines, cum iam semen in testibus produxissent, generassent, & quoties nouum semen in se producerent, toties de nouo generarent. Hoc dicere ridiculum videtur & absurdum. Ergo. Verum respondeo: ad hoc, vt facta esse dicatur generatio, non sufficit semen esse productum, & productas esse in eo dispositiones omnes ad animæ introductionem necessarias; sed necessum est insuper fieri seminum actuationem: ac latentes in eo dispositiones, seu dispositiones solummodo adhuc solum existentes in potentia, fieri actu. Mox autem vt sunt factæ actu, anima introducitur, vel in brutis è potentia materiæ educitur, ac tum est facta generatio. Ad hoc autem vt fiant actu, seu ad actuationem plura requiruntur. Requiritur enim vt sint in vtero: in solo enim vtero est illa virtus & proprietas semina actuandi: requiritur etiam, vt semina vtriusque sexus misceantur. non possunt enim actuari nisi sint commixta, necessum enim est vt per mixtionem dispositiones, quæ sunt in duobus seminibus, misceantur, & ex duabus fiat vna; alioquin nulla

P 5 diuer-

diuerſitatis ſexuum in animalibus neceſſitas foret. Non poſſunt autem ſemina in vtero vniri, & miſceri, niſi per coitum; & ita actuatio includit coitum: & conſequenter generatio quoque includit & coitũ & omnia iſta. Interim tamen eorum nullum eſt eſſentialiter generatio: nam neque coitus, neque ſeminum emiſſio, aut attractio, neque eorum etiam permixtio ſunt generatio: quia illa non dicunt niſi motum localem eius; qui non eſt generatio: neque ſeminis quoque actuatio; quia illa ſolummodo ſeſe habet per modum cauſæ adiuuantis. & ſine qua non: ſed ſolummodo ipſa ſeminis productio, & quæ ei includitur, quæque tum fit, cum ſemen producitur, omnium vltimarum neceſſariarum ad animæ introductionem diſpoſitionum in ipſum impreſſio eſt ipſa vera & eſſentialis generatio. Hoc eſt manifeſtum in ſeminibus tum plantarum, tum auium, quæ ouo includuntur. Etenim ſeminis ex arbore in terram caſus, vel eius ab homine facta plantatio, vel gallinæ ad ouum excubandum ambulatio, ac ſeſſio ſuper eo, quæ reſpondent coitui hominum; non ſunt ipſa generatio; ſed ſunt ſolummodo approximatio ad locum vbi debẽt actuari: nec ipſa ſeminis in terra exiſtentis,

aut

aut oui à gallina incubante actuatio est ipsa generatio; sed ista omnia solum habent rationem causæ sine qua non, & causæ adiuuantis; sine quibus generatio fieri non potest. Porro actuatione facta confestim anima introducitur & tum est absoluta generatio. Et ita arbor quando produxit semen, & sinit illud cadere in terram; iam generauit: nec aliter generat, quam producendo illud. Et pater, quando semen produxit, & illud vtero approximauit; iam generauit: neque aliud in generatione facit, neque aliud ad generationem confert. Nam eo facto potest mori vel abesse, & tamen generatio sequetur, & ipse vere generauerit. Itaque si tum generauit, & si tum est facta generatio, & ipsa approximatio non sit generatio; ergo ipsa seminis productio est generatio. Ideo vero non dicuntur Religiosi & Virgines generasse, etiamsi semen in se genuerint, quia generatio includit actuationem, & tum solum est perfecta, & absoluta, cum actuatio est facta: actuatio autem præsupponit coitum, quem castæ Virgines, & Religiosi non commiserunt.

Verum contra conclusionem possunt obiici hęc argumenta.

Primo. Facultas spermatifica, est prior semine; quia est efficiens eius: poten-

potentia generatiua non est prior ſemine, ſed ſupponit ipſum, tanquam materiam, ex qua ipſa debet generationem facere. Ergo ſpermatifica non eſt generatiua.

Secundo. Si ſpermatifica eſſet generatiua; etiam lactifica, chylifica, ſanguifica, eſſent generatiua: hoc eſt falſum. Ergo. Maior probatur: quia ſanguifica & lactifica idem faciũt, quod generatiua. Etenim ſpermatifica nihil aliud facit, quam inducere formam eſſentialem ſeminis in alimentum: lactifica idem facit: quia etiam inducit formam eſſentialem lactis in ipſum: idem facit ſanguifica, ſpiritifica, &c.

Tertio. Generatio hominis eſt vna ſimplex actio: at ſpermatificatio parentum eſt duplex actio: vna eſt ſpermatificatio maris, altera fœminæ. Ergo.

Quarto. Finis ſpermatificæ eſt conuertere ſemen in ſubſtantiam teſtium: ille non eſt finis generatiuæ; ſed finis eius eſt conuertere ſemen in nouum hominem; & conuertere in neruum, oſſa, carnem, caput, brachia, pedes, &c. Ergo ſunt diuerſæ. Quarum enim potentiarum fines, & actus ſunt diuerſi, illæ ſunt diuerſæ.

Quinto. Si potentia generatiua eſſet ſpermatifica, generatiua eſſet nutritiua: hoc eſt abſurdum. Ergo. Maior eſt vera: ſequela eſt

bona.

bona. Minor probatur variis rationibus. Primo, si generatiua esset nutritiua, non essent nisi duæ species potentiæ vegetatiuæ, nempe nutrix, & auctrix: at communi omnium fere tum Medicorum, tum Philosophorum consensu sunt tres; generatiua, nutritiua, & auctrix; & omnes ponunt generatiuam, vt speciem contradistinctam contra nutritiuam; Ergo. Etenim Galenus libro 1. de facultatibus natural. capite 6. & 8. ponit tres potentiæ vegetatiuæ facultates, & tribus distinctis capitibus, de iis tanquam de diuersis facultatibus agit. Idem facit Auicenna Fen 1. primi doctrina 7. summa 1. capite 2. & Auerrhoes 2. Colliget capite 7. Aristoteles 2. de anima capite 4. textu 34. & D. Thomas 1. parte quæstione 78. articulo 2. qui omnes docent generatiuam esse potentiam à nutritiua distinctam. Secundo, potentiæ habentes diuersos fines, sunt diuersæ : nutritiua & generatiua habent diuersos fines. Ergo. Minor probatur. Etenim finis nutritiuæ est conseruatio indiuidui & reseruatio sui subiecti. Finis generatiuæ est conseruatio speciei & productio alterius indiuidui. Tertio, potentiæ, quarum actiones sunt diuersæ, sunt etiam diuersæ: nã vt est 2. anim. tex. 22. potentiæ per actus & opera distinguũtur : at actiones generatiuæ & nutritiuæ sũt diuersæ. Ergo. Minor probatur.

Etenim

Etenim nutritiuæ actio est nutritio corporis iam existentis; generatiuæ generatio non existentis. Insuper actio generatiuæ est productio totius carnis, totius ossis de nouo, & ad nihil præexistens; actio nutritiuæ est productio particulæ tantum carnis, & ossis, & ad præexistens, & est adproductio, siue adgeneratio. hæ actiones omnino sunt diuersæ. Ergo. Quarto, potentiæ, quarum vna seruit, altera seruitur; vna ministrat, altera ministratur, non possunt esse eædem: tales sunt nutrix, & generatiua. Ergo. Minor probatur authoritate Galeni 1. de facultatibus natural. capite 7. & Auicennæ Fen 1. primi doctrina 6. capite 2. D. Thomæ 1. parte quæst. 78. articulo 2. & 2. contra gentes capite 89. qui omnes dicunt nutricem & auctricem seruire in vtero generatiuæ. Quinto, potentiæ, quarum vna potest facere, quod non potest altera, non possunt esse eædem; generatiua potest facere, quod non potest nutritiua. Ergo. Etenim generatiua potest facere omnes partes hominis, caput, pedes, cor, stomachum, hepar, &c. nutritiua non potest vel vnum digitum deperditum restaurare. Sexto, potentiæ inter se differentes proprio subiecto, non possunt esse vna & eadem; generatiua, & nutritiua differunt proprio subiecto: nam generatiua non

est

est nisi in testibus ; nutritiua est in toto : nulla enim pars est in qua non subiectetur potentia nutritiua. Ergo. Septimo , potentiæ, quarum vna potest semper operari , altera non, non possunt esse eædem ; sed ita est de generatiua , & nutritiua : nutritiua enim operatur toto tempore vitæ ; generatiua non incipit operari nisi decimo quarto anno ætatis , & non potest operari vltra quinquagesimum , saltem in mulieribus. Ergo. Octauo , potentiæ, quarum vna operatur , & producit terminum suum per actionem immanentem , & altera per actionem transeuntem , seu , vt inquit D. Thomas 1. parte , quæstione 78. articulo 2. quarum vna habet effectum suum in eo in quo est alia in alio , non possunt esse eædem : at ita est de nutritiua & generatiua : etenim actio nutritiuæ est immanens, & ipsa agit in suum subiectum , & illud perficit & conseruat , actio generatiuæ est transiens : etenim generans non generat seipsum , sed aliud , & eius actio non terminatur in seipso , sed in alio. Ergo. Nono , potentiæ , quarum obiecta sunt realiter , imo, vt inquit D. Thomas 1. parte quæstione 77. articulo 3. & quæstione 80. articulo 1. ad secundum , solum formaliter distincta, sunt

ſunt diuerſæ: obiecta generatiuæ, vel realiter, vel ſaltem formaliter ſunt diſtincta ab obiecto nutritiuæ. Ergo. Minor probatur. Etenim obiectum generatiuæ eſt ſemen; obiectū nutritiuæ eſt ſanguis; illa ſunt obiecta realiter diſtincta. Ergo. Alij ſubſumunt ſic: obiectum nutritiuæ eſt alimentum vt conuertibile in ſubſtantiam viuentis; generatiuæ vt conuertibile in ſemen: alij dicunt obiectum potentiarum vegetatiuarum, eſſe ipſum corpus viuens; & ſubſumunt ſic: obiectum potentiæ nutritiuæ, eſt ipſum corpus viuens vt nutribile; generatiuæ, vt generabile; auctricis, vt augibile, quam diuerſam obiecti potentiarum vegetatiuarum rationem tradit D. Thomas parte 1. quęſtione 78. artic. 2. Hæ rationes obiecti ſunt diuerſæ. Ergo. Alij multo aliter ſubſumunt, & longe diuerſas obiecti harum potentiarum rationes proponunt; quæ nullius ſunt momenti: quod ex eo cōtingit, quod omnes diuerſificentur in potentiæ generatiuæ natura ac eſſentia deſignanda. Alij enim aſſerunt generatiuam eſſe ſpermatificam, alij formatricem, alij vtramque ſimul, alij generatiuam eſſe in parentibus, alij in ſemine, alij vtrobique; alij eſſe potentiam vitalem, alij non vitalem: & ſecundum hoc coguntur diuerſa earum adſignare obiecta Decimo, potentiæ diuerſimode operantes ſunt diuerſæ; generatiua

generatiua diuersimode operatur, quam nutritiua. Ergo. Etenim generatiua producit carnem, ossa, & omnes partes cum figura: nutritiua etsi producat quidem carnem, ossa, &c. producit tamen ea sine figura. Etenim in nutritione quotidiana, particula, quæ apponitur membris, non producitur cum vlla determinata ac propria figura, sed solum cum illa quam ex accidenti acquirit à figura partis cui adglutinatur.

Sed respondeo. Ad primum: nego potentiam generatiuam esse posteriorem semine, & supponere ipsum. Etenim potentia generatiua generat semen in ordine vt fiat viuens (semen enim non differt à viuente nisi per actuationem. cum erit actuatum erit viuens) & sic generando ipsum, generat viuens in proxima potentia: quod autem generat viuens est prius ipso, & non supponit ipsum; & sic generatiua non supponit ipsum. Verum potentia conformatrix, & immutatrix supponunt semen, vt illud quod debet conformari, & conuerti in substantiam ossis, carnis, &c. sed illæ, vt sæpe dictum est, non sunt potentia generatiua, quæ est potentia generantis; sed potentia geniti. Ergo, &c.

Ad secundum, spermatifica non est generatiua per hoc, quod inducat in sanguinem nouam formam essentialem distinctam à

forma ſanguinis, nempe formam ſeminis; ſed per hoc, quod ſit generatiua noui indiuidui viuentis; id eſt quod producat talem ſubſtantiam, quæ eſt in proxima potentia vt fiat nouum indiuiduum viuens, cuique nihil aliud ad hoc deeſt, quam vt in vtero actuetur, & diſpoſitiones in ipſo latentes ſufficientes ad animæ introductionem, & ad eſſe noui viuentis fiant actu. Aliæ potentiæ in argumento commemoratæ, vt lactifica, ſanguifica, generant, id eſt faciunt Phyſicam generationem, producendo nouam formam eſſentialem in ſuum obiectum, nempe lac. & ſanguinem; quæ eſt generatio late ſumpta, vt opponitur corruptioni; ſed non faciunt generationem proprie dictam; id eſt generationem viuentis, & productionem noui indiuidui viuentis, quæque ſecundum communem doctrinam Philoſophorū, opponitur nutritioni, & auctioni.

Ad tertium: duæ illæ ſpermatificationes ſunt duæ generationes partiales tendentes ad vnam generationem eſſentialem, quæ tunc fit, quando ſemina in vtero actuantur, & anima à Deo infunditur. Subſtantialem enim generationem, vt ſæpe dictum eſt, homines non præſtant, neque propter animæ excellentiam. præſtare poſſunt. Illa generatio eſſentialis quæ fit in momento, & tum primum, cum Deus animam rationalem infundit; eſt vna

ſimplex

ſimplex actio: ſed generationes accidentales, quas faciunt generantes, quæ non ſunt niſi partiales productiones materiæ indiuidui futuri, & non ſunt niſi alterationes, & vltimarum diſpoſitionum introductiones poſſunt bene eſſe duplices: quia tamen tendunt in vnam finalem generationem eſſentialem ideo merito dici poſſunt non eſſe niſi vna generatio, & vna ſimplex actio.

Ad quartum, reſpondeo; iſti fines ſunt ſubordinati: ideo vna potentia poteſt habere vtrumque. Finis vltimus eſt, vt producatur ſimile in ſpecie, & nouum indiuiduum; nutritio teſtium non eſt finis vltimus, ſed tendit in illum. Etenim teſtes non ſunt facti vt nutriantur, ſed vt inſeruiant generationi. vt autem inſeruiant generationi & poſſint ſemen quod potentia eſt nouum viuens producere, debent nutriri, creſcere, & conſeruari: & ſic eorum nutritio eſt propter generationem, & conſequenter finis ſubordinatus generationi. Verum quia propter generationem debuit in iis produci ſemen, ideo natura volens facere compendium actionum & inſtrumentorum, eodem abutitur eadem opera etiam ad teſtium nutritionem, & illius indiuidui particulæ conſeruationem. Præterquam quod minime certum ſit teſtes ſemine nutriri.

Nam ſicuti ſtomachus, etſi generet chylum, non tamen propterea nutritur chylo; & mãmæ etſi generent lac, non tamen nutriuntur eo; ita forte teſtes non nutriuntur ſemine, etſi ipſum generent, ſed ſanguine. Etenim & mammæ, & teſtes ſunt, & nutriuntur priuſquam lac & ſemen generent; quod indicium eſt ea illis non nutriri. Quod tamen hoc loco diſputare nimis longum, & plane præter propoſitum foret. Porro finem generatiuæ eſſe conuertere ſemen in os, carnem, neruos, caput, pedes, &c. falſum eſt. Etenim generatiua non edit illas actiones, & ita non ſunt finis eius. Generatiuę finis eſt introductio animæ: illa enim eſt generatio, non productio oſſis, carnis, capitis, pedum, &c. quia illæ non ſunt generatio, ſed actiones, vt millies dictum, generatione poſteriores, & actiones animæ introductæ, & finis eius.

Ad quintum nego maiorem. Ad argumenta eam probantia reſpondeo: ad primum, diſtinctione formali merito poſſunt dici eſſe tres. Nam in quantum nutritiua edit actiones aliquas tendentes ad conſeruationem & alitionem indiuidui, eatenus dicitur nutritiua: in quantum vero edit aliquam actionem tẽdentem ad productionem alterius indiuidui, vocatur generatiua: diſtinctione vero reali non ſunt niſi duæ, Nam eſſentialiter & ſecundum

dum rem, illa, quæ facit nouum viuens, est eadem cum illa, quæ suum proprium corpus cõseruat. Etenim quæ producit nouum viuens est spermatifica: spermatifica autem producit nouum viuens, per hoc quod producat semen, quod est potentia nouum viuens, sicut non desit ei nisi actuatio, sicut dixi: conseruat autem indiuiduum propriũ per hoc, quod producat semen quo testes nutriuntur. Quatenus enim vnam partem seminis conuertit in testes, eatenus est nutritiua, & conseruatiua sui indiuidui; quatenus vero aliam superfluam seruat, vt fiat viuens nouum ex eo, eatenus est generatiua. Quoad authoritates; nonnulli dicunt illos authores de distinctione formali, & non reali, esse intelligendos; quo casu nihil facerent contra positam conclusionem: verum ego credo eos, & maxime Galenum, & D. Thomam, de distinctione reali esse intelligendos. Vtut sit, & quomodocunque intellexerint, parum refert: non enim in hac doctrina paradoxa moror authoritates, sed solum rationes. Homines fuerunt, & potuerunt errare. Ideo vero errauerunt; quia verã potentiam conformatricem non cognouerũt, & quia conformatricem, & immutatricem ipsam generatiuam esse putauerunt: (quo casu ipsa absque dubio à nutritiua generantis esset diuersa:) quod est falsum. Ad secundum

iam data est responsio in solutione argumenti quarti principalis. Ad tertium dicere potentiam generatiuam esse nutritiuam, nihil est absurdi, cùm id quoque dixerit Aristoteles 2. de anima capite 4. textu 43. his verbis: *Cum autem eadem vis animæ sit, & nutriendi, & generandi, primum de alimento determinare necessum est.* Dico autem: sicut nutritio est actio nutritiuæ, ita esse & generationem. Pro cuius intelligentia sciendum est nomen potentiæ nutritiuæ esse æquiuocum. Etenim nomen, nutritiuæ, dupliciter sumi potest, & generice, & specifice. generice; pro potentia quadam vniuersali, quæ sit genus omnium potentiarum ad nutritionem aliquo modo spectantium ac concurrentium. specifice; pro specie quadam determinata nutritiuæ in genere sumptæ. Nutritiua illa quæ solet à Medicis contradistingui contra generatiuam, & auctricem, est nutritiua generice, non specifice sumpta. Illa non habet proprium nomē, sed appellatur nomine suæ speciei, nempe nutritiuæ specifice sumptę, seu proprie dictæ: quæ est omnium potentiarum nutritiuarum nobilissima & quasi domina, & cui soli fere reliquæ omnes generice sumptæ species inseruiunt. Hæc nutritiua est species potentiæ cōcoctricis; & est illa concoctrix quæ residet in partibus similaribus, quæ alimentū vltimate

conuer-

conuertit in ſubſtantiam membrorum & aſſimilatoria poteſt appellari, quæque vere, & proprie ac immediate indiuiduum nutrit & conſeruat. Talis nutritiua totiplex eſt, quot ſunt ſpecies partium ſimilarium; oſſifica in oſſibus, carnifica in carnibus, neruifica in neruis, & ſic deinceps. Illius enim actio eſt actio ſimilaris, & non inſtrumentaria, & reſidet in partibus vt ſunt ſimilares, & non vt inſtrumentariæ. Nutritiua generice ſumpta, eſt potentia quæ quaqua ratione verſatur circa alimenti ſeu conuerſionem, ſeu præparationem. Quæcumque enim potentiæ aliquam qualemcumque circa alimentum edunt actionem, ad hanc tanquam ad genus referuntur, ac ſunt ſpecies eius. Tales plurimæ ſunt: aliquæ verſantur circa alimenti motum, vt retentrix, attractrix, expultrix: aliquæ circa alimenti alterationem, & eſſentialem conuerſionem, & vocantur concoctrices. quarum duæ ſunt ſpecies, vna quæ coquit alimentum diſpoſitiue ſeu ad nutritionem, ſeu ad generationem, vt chylifica, & ſanguifica: alia quæ conuertit ipſum perfecte & vltimate, & in ſubſtantiam viuentis; qualis eſt illa nutritiua proprie dicta, de qua iam egimus, quæque in ſingulis membris reſidet, & aſſimilatoria appellatur, & cuius tot ſunt ſpecies quot

partes similares: vt ossifica, carnifica, &c. Aliæ insuper versantur circa alimentum, vt ex eo conseruetur species, & fiat aliud viuens, & genitum ad tempus alatur, vt generatiua & lactifica. Aliæ solum præparant alimentum ad hoc, vt ex eo producatur aliqua substantia, quæ sit indiuidui ad varias actiones instrumentum; vt spiritifica tum cordis, tum cerebri, si quæ sit. Hæ ergo omnes sunt species nutritiuæ generice acceptæ; reliquæ non nutriunt, neque vltimate conuertunt alimẽtum in substantiam indiuidui; sed vel disponunt ad illam, vel conuertunt in alium vsum, vt iã dictum est. Porro sicut nutritiuæ proprie dictæ respondet sua actio, quæ est nutritio proprie dicta: ita & nutritiuæ generice sumptæ generice sumpta. Quæ non est quidem nutritio proprie dicta, nec conuersio alimenti in substantiam aliti, aut aliti conseruatio; sed est omnis qualiscunque vitalis animæ in alimentum actio, siue sit alteratoria, siue generatoria, siue motoria. Et hac ratione omnium potentiarum nutritiuarum actio, potest nutritio appellari, sumpto nomine nutritionis generice, & in lata significatione: & in hac chylificatio est nutritio, & sanguificatio est nutritio, & spiritificatio, & retentio, & attractio, &c. quia sunt actiones potentiæ nutritiuæ generaliter sumptæ. Eodem modo generatio, quæ nihil

est

eſt aliud, quam conuerſio alimenti in ſemen, id eſt in nouum viuens, (etſi non actu ſed potentia tantum viuat,) vere eſt nutritio; ſed non nutritio ſpecifice, ſed generice ſumpta: & conſequenter, ſicut generatio eſt nutritio, ita quoque generatiua eſt nutritiua ac ſpecies eius. Et hac ratione patet reſponſio ad argumentum. Etenim non eſt verum nutritionem & generationem eſſe diuerſas actiones, ſed generatio vere eſt nutritio, & ſe habet vt ſpecies ad genus. Proinde ſicut actiones non ſunt diuerſæ, ita quoque neque potentiæ: ac conſequenter generatiua eſt ſpecies nutritiuæ, adeoque nutritiua, verum non illa nutritiua ſpecifice dicta, quæ aſſimilatoria vocatur, ac indiuiduum alit; ſed generice: & ſpecies illius quæ eſt immediata ſpecies vegetatiuæ, & quam Medici ac Philoſophi ſolent communiter contra auctricem, & generatricem, etſi falſo, contradiſtinguere: de qua ſolum quęſtio eſt. Ad illud quod ſequitur in argumento, reſpondeo, & dico productionem carnis, oſſis, &c. de nouo, & productionem totius carnis, & totius oſſis, &c. non eſſe generationem, ſed actionem generatione poſteriorem, vti ſæpe dictum eſt: ſolam autem ſeminis productionem eſſe generationem. Ad quartum reſpondeo; dupliciter poſſe intelligi nutricem & auctricem inſeruire gene-

ratiuæ. Vel enim poteſt intelligi nutricem & auctricem generantis, inſeruire generatiuæ generantis, id eſt inſeruire generatiuæ eiuſdem numero animæ, cuius ipſæ ſunt potentiæ; ſeu inſeruire ſpermatificæ: in quantum nimirum corpus debet diu nutriri, & augeri priuſquam ſit aptum generare, & ſemen producere: vel poteſt intelligi nutricem & auctricem fœtus inſeruire generatiuæ parentum, ſeu formatrici; quam aſſerunt eſſe generatiuam. Si intelligatur nutricem & auctricem generantis ſeruire generatiuæ, id eſt ſpermatificæ generantis; dico hoc quidem eſſe verum; ſed ex eo non ſequi generatiuam non eſſe nutritiuam. Poteſt enim eſſe vna ſpecies nutritiuæ & alia ſpecies inſeruire ei: nam, vt dixi, nutritiua eſt duplex, alia generice, alia ſpecifice ſumpta. Generatiua eſt nutritiua generice ſumpta, ſeu ſpecies eius. Illius autem adhuc ſunt plures aliæ ſpecies; chylifica, ſanguifica, attractrix, retentrix, &c. Nihil autem impedit vnam earum alteri inſeruire. Etenim ſpecies ſub eodem genere contentæ non ſunt omnes ęquę nobiles; quæ autem ignobilior eſt, poteſt alteri inſeruire. Sic canis & equus, qui ſunt ſpecies animalis, bene poſſunt inſeruire homini, qui tamē etiā eiuſdem ſpecies eſt. Ex hoc autem quod vna ſpecies ſeruiat alteri, non ſequitur non poſſe

vtram-

vtramq; habere nomen ac appellationem generis; aut non posse nomen generis tam bene de vna quã de altera prædicari. Nã etsi, dico, canis & equus inseruiant homini, tamen tam bene vocantur animal, quã homo. Pari ratione; aliquæ species nutritiuæ generice sumptæ, vt chylifica, sanguifica, attractrix, retẽtrix, &c. possunt inseruire alteri speciei illius, nempe generatiuæ, seu spermatificæ; & tamen nihilominus esse nutritiua, & tam bene appellari nutritiua, quã illæ. Potest generatiua, quã spermatificam esse dicimus, etiam dici esse nutritiua specifice sumpta, id est nutritiua testium: sed tum illa nutritiua non inseruiret ei; quia esset vna & eadem; & sic quoad eã argumentũ non haberet locum. Si vero intelligatur nutricẽ, & auctricẽ fœtus inseruire generatiuæ generantis, seu formatrici, quã dicũt esse generatiuã (in quo sensu intelligunt, Galenus, Auicenna, & D. Thomas nutricem & auctricem inseruire generatiuæ,) tunc dico falsum esse illas ei inseruire. Etenim potentiæ animæ fœtus non possunt inseruire potentiæ animæ patris. & vt inseruirent illi conformatrici, nõ tamen ideo verum esset dicere eas inseruire generatiuæ; quia illa conformatrix non est generatiua, vt est ostensum. Si vrgeatur, dici posse inseruire generatiuæ per hoc quod inseruiant conformatrici, quæ est vicaria

gene-

generatiuæ, etiamsi non sit ipsamet vera generatiua; respondeo illi non inseruire, eo quod talis conformatrix in semine nulla sit, vt est ostensum. Non existenti autem nullæ potentiæ possunt inseruire. Et vt adhuc talis aliqua in semine esset, non videtur tamen propterea quod nutrix & auctrix possent ei inseruire. Nam quomodo potentiæ animæ inseruirent potentiæ non vitali & non animatæ? Nobilius non potest inseruire ignobiliori. Potentiæ autem animæ, sicut ipsa anima est nobilior omnibus aliis formis, etiam sunt omnium aliarum formarum virtutibus longe nobiliores. Accedit, quod eo tempore, quo illa conformatrix, quam asserunt esse generatiuam, operaretur, nutrix & auctrix adhuc non essent in rerum natura; si non essent, quomodo possent inseruire? Tunc adhuc non esse, est manifestum, quia ipsæ sunt potentiæ geniti: quando autem conformatrix operaretur, genitum adhuc non esset. Conformatio enim secundum ipsos est ante productionem geniti, & est dispositio ad eius productionem. Ipso autem producto cōformatrix non amplius posset operari, quia tunc forma seminis esset destructa; qua destructa deberet quoque destrui, & exstingui proprietas, & facultas ab ipsa promanans, ab eaque dependens. Et quamuis maneret, adhuc tamen

men non deberet operari, quia eius operatio esset ad formæ introductionem. Forma autem introducta deberet cessare ab omni operatione, & ab omni vlteriore dispositionum introductione. Si respondeatur animam geniti tunc vlterius conformare; insto; ergo saltem falsum esset tum nutricem, & auctricem generatiuæ inseruire: quia formatrix animæ geniti non est generatiua; sed inseruirent formatrici suæ proprie animæ, quæ nulla ratione potest dici esse generatiua: quia neque esset generatiua generantis, vt est manifestũ: quia potentia geniti non potest esse potentia generantis: neque esset generatiua geniti; quia generatiua geniti eo tẽpore adhuc non operatur; sed solum est apta operari anno decimo quarto ætatis. Atque ex his patet allucinatio Galeni, quando dicit nutricem, & auctricem in prima generatione esse ancillas, generatiuam vero dominam, postmodum autem dominam fieri ancillam, & generatricem ac nutricem, auctrici inseruire. Etenim generatiua illa, cui dicit nutricem, & auctricem inseruire, & quam dicit facere conformationem in prima generatione, est potentia generantis: illa autem quam dicit postmodum, homine iam adulto, inseruire nutrici, est potentia geniti, & existit iam in genito, & in genito iam adulto; in quo nõ potest esse

vel

vel remansisse potentia generantis: quomodo aútem potentia generantis potest postmodum fieri potentia geniti? Ad quintum, nego minorem. Ad probationem dico; falsum esse generatiuam facere caput, pedes, cor, stomachum, &c. Generatiua enim non aliud facit quam producere semen; id est viuens in proxima potentia. Caput, cor, pedes, facit non generatiua, quæ est potentia animæ generantis, sed potentia aliqua animæ geniti. Ad sextum. Nego nutritiuam esse in toto. Nutritiua generice sumpta est in toto; sed specialiter sumpta, seu proprie dicta, minime. Generice sumpta est in toto secundum omnes suas species separatim sumptas. Nō enim quælibet species eius séorsim sumpta est in toto, quia nec chylifica est in toto nec sanguifica, nec spiritifica, neque ossifica, neque retentrix, neque attractrix, sed vnaquæque solum est in determinata parte: sed secundum omnes simul sumptas est in toto: quia secundum chylificam est in stomacho, secundum sanguificam in hepate, secundum spermatificam in testibus, secundum spiritificam in cerebro, secundum ossificam in ossibus, secundum carnificam in carne, secundum attractricem in fibris rectis, secundum expultricem in fibris transuersis, & sic deinceps: sic, vt nulla sit pars in qua non sit secundum

aliquam

aliquam ſpeciem ſui. Verum nutritiua ſpeciatim ſumpta, ſeu proprie dicta non eſt in toto, ſed tantum in determinata parte. Sic oſſifica ſolum eſt in oſſibus non in carne; carnifica ſolum in carne & non in oſſibus, & ſic de ſingulis ſimilaribus partibus inexiſtentibus. Cæterum ſicut illæ aliæ ſpecies nutritiuæ iam dictæ, ſeu potentiæ illæ miniſtræ, vt chylifica, ſanguifica, ſpiritifica, lactifica, retentrix, attractrix, &c. non ſunt in toto, & tamen nihilominus ſunt potentia nutritiua, ſeu ſpecies nutritiuæ generaliter ſumptæ: ità quoque poteſt generatiua, quæ non eſt alia quam ſpermatifica non eſſe in toto, ſed ſolum in determinata parte, & nihilominus tamen eſſe nutritiua, generice ſumpta ſeu ſpecies eius. Ad ſeptimum, fere ſimilis eſt reſponſio: nutritiua ſpecifice ſumpta operatur toto tempore vitæ; ſed generice ſumpta, non. Operatur quidem toto tempore vitæ ſecundũ omnes ſuas ſpecies ſimul ſumptas: nam ſecundum vnam operatur hoc tempore vitæ, ſecundum aliam alio; ita vt nullum ſit quo non operetur ſecundum aliquam; ſed non operatur toto tempore vitæ ſecundum omnes ſeparatim ſumptas, ſed vno tempore ſecundum hanc, alio ſecundum aliam. Sic non operatur ſemper ſecundum chylificam; quia chylifica non operatur totis

totis illis nouem mensibus quibus fœtus est in vtero: non operatur etiam semper secundum lactificam, sed solum tunc cum fœmina grauida est: nam in multis nullo vnquam tẽpore vitæ secundum eam operatur. Eodẽ modo non semper operatur secundum generatiuam. Porro, sicut illæ omnes, etsi non semper operentur, propterea tamen non desinũt esse nutritiua, seu species eius; ita quoq; generatiua, etsi non semper operetur, non propterea tamen desinit esse nutritiua; verum nutritiua, vti dico, in genere sumpta: de qua solum quæstio est. Ad octauum. Nego minorem: falsum enim est potentiam nutritiuam operari per actionem immanentem: operatur enim per transeuntem. Etenim omnis nutritiua agit in alimentum conuertendo vel mouendo illud: conuersio, & motio alimenti sunt actiones transeuntes, minime autem immanentes. An nutritiua specifice sumpta, quæ assimilatoria vocatur, quæque immediate suum corpus nutrit, & conseruat, agat per actionem immanentem, an transeuntem; non est opus disputare: quia de ea non est quæstio. Quæstio enim non est an generatiua sit nutritiua specifice, sed an generice sumpta. Sufficit dicere generice sumptam non agere per actionem immanentem, sed per transeuntem. Omnes enim species nutritiuæ generice

sumptæ,

ſumptæ, excepta ſolummodo fere nutritiua proprie dicta ſeu ſpecifice ſumpta, certo & abſque dubio agunt per actionem tranſeuntem. Sic expultrix, attractrix, retentrix, concoctrix, ſanguifica, chylifica, ſpiritifica, lactifica, &c. omnes agunt per actionem trãſeuntem: quia agunt in alimentum quod eſt diuerſum à viuente. Dico tamen nihilominus etiam de nutritiua ſpecifice ſumpta, ipſam agere per actionem tranſeuntem: agit enim etiam in alimentum, vltimate illud conuertendo, & adglutinando corpori viuenti, eiuſque actio terminatur & recipitur in alimento, & non in corpore viuente. Per accidens enim eſt potentiæ, alimento aſſimilato animã ſe extendere in illud & corpus nutriri: per ſe vero ſolum terminatur in alimento. Et ita terminus intrinſecus eius eſt alimentum; extrinſecus, corpus: vti bene Carrerius explicauit. Ad nonum, poteſt negari, & maior, & minor. Maior, quia calor natiuus verſatur circa obiecta formaliter diſtincta, & tamen ipſe non eſt propterea à ſeipſo realiter diſtinctus; ſed hoc parum facit ad ſolutionem. Minor poteſt negari pro vtraque parte. quia & falſum eſt obiectum nutritiuæ eſſe ſanguinem, & falſum etiam eſt obiectum generatiuæ eſſe ſemen. Obiectum nutritiuæ ſpecifice ſumptæ eſt ſanguis; ſed generice, de qua hic

quæſtio eſt, non. Sanguis enim non eſt obiectum omnium potentiarum nutritiuarũ ſeu omnium ſpecierum nutritiuæ ſed paucarum tantum. Etenim non eſt obiectum chylificæ: quia illud eſt caro, panis, &c. non etiam ſpiritificæ, ſaltem adæquatum: quia eius obiectũ eſt etiam aer externus: ſi nimirum verum ſit illum etiam in ſpiritus conuerti; de quo plurimum eſt dubitandum: non & ſanguificæ, quia illud eſt chylus. Porro generatiuæ obiectum non eſt etiam ſemen, ſed ſanguis: generatiua enim cum ſit ſpermatifica, verſatur circa ſanguinem, vt eum conuertat in ſemen; & ſic ſemen eſt effectus eius, non obiectum. Si verum eſſet formatricem, & immutatricẽ eſſe generatiuam, eſſet verum obiectum generatiuæ eſſe ſemen; ſed illud eſt falſum; quare & hoc. Ad alterum ſubſumptum: nego obiectum nutritiuæ eſſe alimentum vt conuertibile in ſubſtantiam aliti. Obiectum nutritiuæ ſpecifice ſumptæ, eſt alimentum vt conuertibile ſic: at generice, minime. Obiectum autem huius eſt alimentum conſideratum in ratione magis vniuerſali; nimirum vt conuertibile vel in ſubſtantiam aliti, ſeu indiuidui proprij, vel in ſubſtantiam alterius indiuidui noui, vel in aliquam aliam, ipſi indiuiduo ad actiones neceſſariam. Etenim ſpiritifica, lactifica, ſunt nutritiua, ſeu ſpecies

nutri-

nutritiuæ generice ſumptæ, & tamen earum obiectum non eſt alimentum vt conuertibile in ſubſtantiam aliti; quia indiuiduum neque ſpiritu neque lacte alitur; ſed vt conuertibile in ſpiritum, qui eſt ſubſtantia ad actiones neceſſaria; vel in lac quod eſt alimentum alterius indiuidui ac noui. Eodem modo obiectum generatiuæ eſt alimentum non neceſſario vt conuertibile in ſubſtantiam indiuidui, ſed vt conuertibile in ſemen, id eſt in ſubſtantiam noui viuentis. Ad hoc, quod ſubſumit Carrerius ex D. Thoma obiectum potentiarum vegetatiuarum eſſe ipſum corpus viuens, reſpondeo, id eſſe falſum. Etenim corpus non eſt obiectum ſuarum potentiarum, ſed ſubiectum; & eſt illud quod agit per potentias; & non illud in quod aut circa quod potentiæ agunt. Si corpus viuens eſſet obiectum potentiarum, eſſet agens & patiens ſimul; eſſet enim illud quod agit, & illud in quod, & circa quod agitur, quod eſt impoſſibile. Porro ipſum non eſſe obiectum potentiarum vegetatiuarum, ſed alimentum; aperte docet Ariſtoteles 2. de anima cap. 4. his verbis: *Quod ſi ita ſit, atque prius etiam obiecta quã iſta (ſcilicet operationes) contẽplari oporteat; primũ profecto de illis propter eandẽ cauſam, vt de alimẽto, de ſenſibili, de intelligibili determinare oportet.* Quibus manifeſte oſtẽdit obiectũ

vegetatiuarum ſic eſſe alimentum, ſicut ſenſibile ſenſus, & intelligibile intellectus. Ad locum D. Thomæ, dico, ipſum ibi improprie ſumere nomen obiecti pro fine, in quem potentia intendit: quod ſatis clare videntur eius verba indicare, quæ habentur parte 1. quæſt. 78. articulo 2. & ſic ſonant. *Vegetatiuum enim, vt dictum eſt, habet pro obiecto ipſum corpus viuens per animam: ad quod quidem corpus triplex operatio eſt neceſſaria; vna quidem per quam eſſe acquirat, & ad hoc ordinatur potentia generatiua; alia per quam corpus acquirat debitam quantitatem, & ad illud ordinatur vis augmentatiua; alia vero per quam virtus viuentis ſaluatur in eſſe, & ad hoc ordinatur virtus nutritiua.* Vbi ex verbo, ordinatur, patet ipſum velle illa eſſe potentiarum vegetatiuarum finem; ſeu eſſe operationes ad quas tanquam in finem potentiæ tendunt, & non obiectum. Finis enim generatiuæ eſt vt viuens conſtituatur in eſſe; illud autem cõſtituere in eſſe eſt operatio ipſius: & finis augmentatiuæ eſt vt corpus augeatur, augere autem eſt operatio eius, in quam ipſa tendit tãquam in finem; & ſic de nutritiua. Ad decimum, nego potentiam generatiuam producere membra cum certa figura. Etenim generatiua non producit aut conformat mẽbra; ſed anima geniti. Generatiua non facit niſi generationem & non producit niſi animam;

ſubſtan-

ſubſtantialiter quidem in plantis, & brutis; diſpoſitiue vero in hominibus. Conformationem & immutationem ad ſubſtantiam oſſis, carnis, &c. faciunt formatrix, & immutatrix, quæ ſunt potentiæ animæ geniti, nō generantis. Porro varij ſunt tum Medici tum Philoſophi aſſerentes generatiuam realiter eſſe eandem cum nutritiua, prout nos iam aſſeruimus, Gentilis, Valleſius, Ioubertus, Carrerius, Durandus, Conimbricenſes, Mercenarius, Ruuio, aliique, & probant variis argumentis. Verum quia procedunt ex falſo fundamento, errant omnes; eorumque argumenta ſunt vana, & nullius ponderis. Supponunt enim eſſe generationem quæ non eſt generatio; & eſſe generatiuam quæ non eſt generatiua. Conimbricenſes in 2. Ariſtotelis de anima capite 5. tenentes hanc ſententiā, probant eam ſic: potentia generatiua nō differt in alio à nutritiua, quam quod illa generet totam carnem, & totum os de nouo: nutritiua ſolum generet particulam, & ad præexiſtens, illæ rationes non ſufficiunt ad conſtituendas potentias realiter diſtinctas. Ergo. Verum argumentum nihil probat; quia ſupponit illam potentiam, quæ os, carnem totam de nouo producit, eiſe generatiuam: hoc eſt falſum, vt oſtendi, & adhuc probo. Ergo. Etenim generatiua eſt potentia animæ

generantis, quæ autem os, carnem, in principio generat, est potentia animæ geniti. Denique, quia productio ossis, carnis de nouo, id est in primo vitæ exordio, non est generatio; sed actio generatione posterior, & actio geniti, non generantis. Secundo, quia, quando asserunt generatiuam esse realiter eandem cū nutritiua, vel loquuntur de generatiua primaria quæ est in parentibus; vel de illa generatiua instrumentaria, quam ponunt in semine, quam vocant conformatricem, & quam ipsimet fatentur non esse potentiam vitalem, nec potentiam animæ, sed solum virtutem quandam Physicam, instrumentū generatiuæ principalis. Si loquuntur de hac, errant & nihil probant. Primo, quia certum est virtutem illam Physicam non vitalem, non posse esse realiter ipsius geniti nutritiuam; eo quod nutritiua geniti sit potentia vere vitalis. Secundo, quia cum illa se teneat ex parte generantis, certum est non posse esse realiter eandem cum nutritiua geniti. Potentia enim seu virtus generantis non potest esse virtus geniti. Tertio, quia falso assumunt eam generare ossa & carnem, sicut nutritiua geniti. Quomodo enim potentia non vitalis potest generare ossa & carnem? Vnde cum nutritiua generet ossa & carnem, illa non; patet illam non posse esse nutritiuam: quod probare

bare intendunt. Certum eſt illam, quæ de nouo, & in primo vitæ exordio, totum os, & totam carnem, &c. produxit, eſſe realiter eandem cum illa quæ poſtmodum nobis natis particulas oſſis, carnis, &c. producit ad præexiſtens: ſed falſum eſt illam quæ hoc in primo vitæ exordio fecit eſſe generatiuam. Hoc enim fecit formatrix animæ geniti, quæ à potentia generatiua plurimum eſt diuerſa. Valleſius 2. controuerſiarum capite 29. eandem tenens opinionem probat eam ſic: in nobis adultis remanet quædam virtus formatrix, quæ deciduos dentes regenerat; Sophroniſteres producit, arteriolas, venulas, nouam carnem in cauis vulneribus reſtaurat, &c. illa eſt eadem cum illa, quæ produxit membra in primo vitæ exordio: illa eſt vera nutritiua; ergo & hæc. Verum etiam male probat: quia ex eodem fundamento, quo Conimbricenſes. Supponit enim potentiam, quæ prima membra fecit, eſſe generatiuam, quod eſt falſum. Nam, vt oſtendi, illa non eſt generatiua, ſed quædam virtus immutatrix animæ geniti, quæ tum demum exoritur cum genitum eſt factum & noui hominis generatio iam abſoluta, verum eſt remanere in nobis quandam virtutem formatricem, & illam eſſe eandem cum illa quæ fecit

membra in prima generatione; sed falsum est illam esse generatiuam. Si argumentum teneret, sequeretur generatiuam seu potentiam generantis remanere in adulto, & generatiuam generantis fieri nutritiuam geniti. & generatiuam parentum adhuc anno octogesimo ætatis producere in nobis sophronisteres, posteaquam ipsi septuaginta nouem annis iam essent mortui. Quæ omnia sunt lōge absurdissima. Confirmat interim argumētum exemplo sumpto à plantis. Eadem, inquit, virtus facit ramos, folia in herba adulta, quæ fecit in primum nascente: in primū nascente fecit generatiua; ergo & in adulta, & è contra. Sed minor est falsa. Non enim prima illa folia fecit generatiua, quæ se tenet ex parte generantis; sed nutritiua geniti, quæ realiter eadem est cum prima immutatrice. Cæterum argumenti error promanat à Galeno lib. 1. de facultat. natural. capite 8. dicente, alterationem siue immutationem seminis quæ fit in vtero, esse speciem nutritionis, & esse eandem, qua postea in adultis, caro, ossa, nerui regenerantur; in hoc solum differētem, quod ea in vtero producantur os, caro, &c. de nouo; in adultis, ad præexistens. Qui vti errat, ita etiam suos sequaces facit errare. Probat Vallesius secundo, capite 20. sic. iisdem particularibus actionibus completur gene-

ratio,

ratio, quibus nutritio: completur enim vtraque alimenti attractione, retentione, cõuersione in substantiam aliti: ergo sunt eadem actio. Verum argumentum etiam est nullum; quia supponit primam ossis, carnis productionem esse generationem, & perfici iisdem actionibus ministris, quibus nutritio in adultis, quod est falsum; vt iam dictum est.Ioubertus commento in caput 6. lib. 1. Galeni de facult. natural. tenens eandem opinionem, illam conatur probare sic. Quarum actionum terminus est idem; illæ sunt eædem. actiones enim specificantur à termino: & quarum potentiarum actiones sunt eædem, illæ sunt eædem: sed idem est terminus nutritionis, & generationis. Vtriusque enim terminus est caro, os, nerui, &c. ergo sunt eædem; & cõsequenter eædem potẽtiæ earum. Peramatus libro de facultatibus natural. corpus nostrum dispensantibus, conatur respondere ad argumentum, dicendo: ideo actiones esse diuersas, quod vna faciat rem de nouo, & totum; alia particulam, & ad præexistens. Verũ neque valet responsio Peramati, neque argumẽtum Iouberti: non responsio Peramati: quia terminum de nouo produci, vel produci ad præexistens, non facit specificam, sed solum accidentalem differentiam terminorum & consequenter nec actionum. Non argumen-

tum Iouberti: quia ſupponit itidem terminũ generationis eſſe, os, carnem, &c. quod eſt falſum. Terminus enim generationis eſt anima, non os, caro, neruus; quia hæc producuntur primum generatione iam abſoluta. Quo loco illud etiam abſurdi in Iouberto eſt notandum, quod illam generatiuam, quam eandem dicit eſſe cum nutritiua, dicat eſſe potentiam animæ vegetatiuæ ſemini inexiſtentis; & fœtu genito, eam fieri ipſius nutritiuam. Nam ſi eſt potentia animæ vegetatiuæ ſeminis, quomodo fit poſtmodũ nutritiua rationalis fœtus? quam ſuperuenire, & à Deo infundi ſe pie credere profitetur. Alij aliis argumentis probant hanc opinionẽ, quę omnia recenſere fruſtraneum foret; quod pleraque ſint irrita & inania, quippe ex falſa ſuppoſitione profecta; quod nimirum eorum authores, nec quid vere ſit generatio, nec quę ſit vera generatiua, nec quæ ſit virtus conformatrix intellexerint. Etenim ſi ignoretur quę ſit generatiua, & quæ ſit generatio, & in quo conſiſtat, quomodo poteſt decerni ac probari an ſit realiter eadem cum nutritiua, an diuerſa?

Atque ita probatum hactenus eſt potẽtias conformatricem & immutatricẽ non eſſe generatiuam, aut ſpecies eius, ſed generatiuam ſolummodo eſſe ſpermatificã, & conſequẽter

nutri-

nutritiuam, & nullam aliam: conformatricem vero & immutatricem esse potentias animæ fœtus. Restat ergo modo videre; quales potentiæ sint conformatrix, & immutatrix: an sint vna eademque, an vero inter se realiter distinctæ; & an sint potentia nutritiua, nec ne. Atque hic militant argumenta quæ communiter à Medicis ac Philosophis solent in medium afferri super inuestigatione illius quæstionis, an generatiua à nutritiua realiter sit distincta. Nam, quibus ipsi vel negant, vel affirmant generatiuam esse nutritiuam, iisdem videtur posse negari vel affirmari conformatricem ac generatricem esse nutritiuam; eo quod ipsi conformatricem, & immutatricem cum generatiua confundant.

Videtur autem imprimis conformatrix nō posse esse nutritiua. Primo, quia termini earum sunt diuersi. Etenim conformatrix tendit ad quantitatem, seu ad determinatum modum quantitatis, id est figuram; nutritiua vero ad substantiam. Secundo, quia nutritio supponit conformationem, & est posterior ea: prius enim debent membra esse facta & conformata, antequam possint nutriri. Ergo. Tertio. Potentiæ, quarum vna potest deleri & non operari, altera permanet, & semper operatur, sunt diuersæ: ita est de conformatrice, & nutritiua.

Ergo.

Ergo. Etenim nutritiua semper operatur, & toto tempore vitæ; conformatrix vel exstinguitur, vel valde raro operatur; imo in multis, ex quo nati sunt, vix vnquam. Quarto, nutritiuæ sedes est in hepate, conformatricis vbique; quia non est designare partem in qua magis principaliter resideat, quam in alia; aut ex qua influat in alias. Ergo. Quinto, illæ potentiæ videntur plurimum differre nobilitate, & excellentia. Ergo. Etenim videtur multo diuinius, multo artificiosius esse, infinitas partes infinitis modis conformare, & infinitis diuersis figuris ornare, quam solummodo alimentum in os, carnem, neruum, &c. conuertere. Confirmatur; videtur longe operosius & excellẽtius infinitas plantas, quibus mundus scatet, tam infinitis ornare figuris, quam succum è terra attrahere, in substantiam viridem ac carnem plantalem conuertere: & in piscibus eorum omnium diuersas figuras, & in auibus artificiosam plumarum diuersitatem facere, quam alimentum in substantiã eorum permutare.

Porro: quoad immutatricem, videtur quoque illa à nutritiua diuersa. Primo, quia immutatio est productio carnis, ossis de nouo: nutritio est productio partis solum, & ad præexistens. Ergo. Secundo, obiectum immutatricis est semen; nutricis est sanguis. Ergo.

Tertio,

Tertio, nutritio ſupponit partes, non facit; immutatio facit eas de nouo. Ergo. Quarto, nutritiua reſidet in membris, immutatrix in ſemine. Ergo. Quinto, finis nutritiuæ eſt membri conſeruatio, immutatricis membri conſtitutio. Ergo.

Porro conformatricem non eſſe eandem cum immutatrice ſed diuerſas: probari poteſt authoritate Galeni 1. de facultatibus naturalibus capite 5. & Auicennæ Fen 1. primi doctrina 6. capite 2. quorum verba ſupra quæſtione 9. ſunt recitata, quibus docent formatricem ab immutatrice eſſe diuerſam. Probat ſecundo. Segarra commento in 1. Galeni de facult. natural. ratione: & eſt argumentum ſupra ſecundo loco ad probandum conformatricem non eſſe nutritiuam, allegatum, & eſt hoc: conformatio præcedit immutationē, & eſt prior tempore illa. membrū enim prius eſt formatum quam in ſubſtantiam oſſis, carnis, conuertatur: ergo ſunt diuerſæ, & conſequenter potentiæ quoque earum. Carrerius diſputatione 33. ſuper Auicennę caput 4. aſſerit ſpermatificam, quam dicit quoque eſſe generatiuam, eſſe eandem cum nutritiua, per hoc, quod ſit nutritiua teſtium, & in eum finem ſemen generet, vt ex ipſo teſtes nutriātur. Sed quid ſi non eſſet nutritiua teſtium? & quid ſi ex ſemine teſtes non nutrirentur:

an propter hoc ſpermatifica ceſſaret eſſe nutritiua? Chylifica non producit chylum ad hoc, vt ex eo ſtomachus nutriatur: teneo enim certiſſimum eſſe ſtomachum chylo non nutriri: ſpiritifica cerebri non producit ſpiritus, vt ex iis cerebrum nutriatur: lactifica mamillarum non producit lac, vt ex eo mammæ nutriantur; fuerunt enim nutritiuæ antequam lac producerent: ideone ceſſant eſſe nutritiuæ? Pari modo etiamſi teſtes non nutrirentur ſemine, ſicuti non nutriri veroſimilius eſt; fuerunt enim etiam nutriti in infantibus ac pueris priuſquam ſemen generarent: ideo tamen ſpermatifica non ceſſaret eſſe nutritiua. Sunt omnes nutritiua generice ſumpta; id eſt ſunt ſpecies nutritiuæ generice ſumptæ; de qua eſt quæſtio: non autem ſpecifice ſumpta. Vt aliqua potentia poſſit dici eſſe nutritiua; non eſt neceſſum eſſe nutritiuam ſpecifice ſumptam, quia illa non eſt niſi vna ſpecies nutritiuæ generice ſumptæ; ſed ſufficit eſſe aliquam aliam ſpeciem: vna enim ſpecies nutritiuæ tam bene eſt nutritiua, quam alia. Retentrix, attractrix, ſunt ſpecies potentiæ nutritiuæ; & ſic merito ſunt & appellantur nutritiuæ; & tamen non ſunt nutritiua ſpecifice ſumpta, quia nullam partem per ſe, & immediate nutriunt, imo ne quidem alimentum vlla ratione conuertunt, ſed ſolum

loca-

localiter mouent: ſed ſolum generice ſumpta.

CONCLVSIO decimaquarta. Potentia immutatrix eſt nutritiuæ.

Probatur primo. Immutatrix eſt abſque dubio vegetatiua: ſed non eſt generatrix, vt eſt oſtenſum concluſione 12. non auctrix; ergo nutrix: nullæ enim ſunt aliæ ſpecies vegetatiuæ. Secundo. Vtraque potentia verſatur circa alimentum conuertendo illud in ſubſtantiam viuentis, vtraque tendit ad introductionem animæ in illud obiectum in quod agit: vtriuſque eſt eadem actio. vtraque enim facit oſſa, carnem, neruum, &c. Ergo ſunt eadem. Differentia ſolum eſt in eo, quod vna producat de nouo, altera ad præexiſtens; vna carnem totam, os totum, &c. altera ſolum partem. Illæ non ſunt rationes ſufficientes cauſandi realem potentiarum diuerſitatem, vt bene docent Conimbricenſes 2. de anima capite 4. vna enim virtus poteſt producere & partem, & totum, vt patet de igne. Ergo. Vlterius: illa potentia quæ producit os, carnem, neruum, &c. in nobis iam adultis, eſt abſque dubio eadẽ cũ illa, quæ produxit ea in primo vitæ exordio; hæc eſt nutritiua: ergo & illa. Maior probatur: quia ſi eſſent diuerſæ, ſequeretur quod nunc in nobis eſſent duæ potentiæ oſſificæ, duæ neruificæ, duæ carnificæ,

&

& sic de aliis : hoc est absurdum. Ergo. Quod hoc sequeretur probo: quia illa prima immutatrix, quare, & à quo periisset ? Tandem per id conseruatur vnaquæque res in esse, per quod habet esse : idem enim opifex, qui potest facere opus, potest illud conseruare. Sic idem opifex facit nauim, domum, & conseruat eas : os, caro, neruus, membranæ, & omnes partes similares habent esse per immutatricem : illa enim primo produxit eas. at conseruantur in esse per nutritiuam : ergo immutatrix est nutritiua.

CONCLVSIO decimaquinta. Probabile mihi videtur conformatricem esse realiter eandem cum immutatrice, & consequēter cum nutritiua, ac solummodo formaliter esse distinctas : in quantum producit os, carnem, neruum, vocatur immutatrix ; in quātum producit cum tali vel tali figura, vocatur conformatrix.

Probatur. Non sunt multiplicanda entia sine necessitate : vna potentia videtur vtrumque posse facere. Ergo. Minor probatur : quia vna eademque potentia potest producere rē & producere cum tali vel tali quantitate, tali vel tali figura ; id est potest producendo rem simul comproducere figuram eius ; nec videtur ad hoc opus esse diuersas constituere potentias, quarum vna rei productioni, altera

tera figuræ concinnandæ intendat.

Ad argumenta in contrarium reſpondeo. Ad primum. Termini quidem ſunt diuerſi, ſed quia vnus comproducitur cum altero, ideo poſſunt ab eadem potentia produci. Ad ſecundum, nutritio quæ in progreſſu vitæ fit, ſupponit partem productam, & iam factam; ſed non nutritio prima. Quia nutritio prima, eſt ipſa partis productio ab eadem potentia, à qua producta poſtmodum conſeruatur. Ad tertium reſpondeo. Vna & eadem potentia poteſt flacceſcere ſecundum vnam rationem agendi; & non ſecundum aliam. Quod idem fateri coguntur, qui aſſerunt nutritiuam ab auctrice non niſi ſecundum rationem differre: flacceſcit enim ſecundum rationem augendi; ſed non ſecundum rationem nutriendi. Ideo autem flacceſcit auctrix; quia nõ debet corpus ſemper augeri, ſed bene ſemper nutriri. Eodem modo flacceſcit paulatim cõformatrix & non nutrix, quia debet corpus ſemper nutriri, ſed non ſemper conformari. quod enim ſemel conformatum eſt, manet conformatum, & non debet iterum & ſemper reformari. Conformat tamen nihilominus adhuc aliquo modo, toto tempore vitæ, per hoc, quod in ſubſtantiæ noſtræ quotidiana deperditione, & reſtauratione faciat eandem ſemper corporis figuram ſeu bonam pro-

portionem permanere & nõ deperdi: & quod vſque ad octogeſimum etiam annum ætatis, dentes ſophroniſteres, & nouas venulas ac arteriolas in cauis vlceribus aliquando cum ſe occaſio offert, conformet. Cur partes inſtrumentales ac ſpermaticæ deperditæ nõ reſtaurentur peculiarem cauſam habet; de qua agẽdi hic non eſt locus. Ad quartum: ſedes nutritiuæ non eſt in hepate, ſed in toto, ſicut & conformatricis. Sedes ſanguificæ, quæ eſt ſpecies nutritiuæ eſt in hepate, ſicut chylificæ in ſtomacho, lactificæ in mammis: verum nutritiuæ generice ſumptæ, prout debet intelligi, ſedes eſt in toto: non quidem, vt ſupra dictum eſt, ſecundum omnes ſuas ſpecies ſeparatim, ſed coniunctim ſumptas. Non enim eſt in toto ſecundum ſanguificam, chylificam, aut lactificam; ſed eſt in toto ſecundum aliquam: id eſt, ſecundum hanc in hac, ſecundũ aliam in alia parte. Ad quintum reſpondeo; & dico: productionem formæ eſſentialis ſemper eſſe nobiliorẽ productione figuræ, aut formæ accidẽtalis. Tamẽ vt ita eſſet, quod cõformatio eſſet nobilior immutatione; ex eo tamen propterea nõ ſequeretur cõformatricẽ, & immutatricẽ eſſe potentias diuerſas; ſed ſolũ illã potentiam vnicã eſſe nobiliorem ſecundum vnam rationem agendi, quã ſecundum aliam.

Ad argumenta probantia immutatricẽ non

eſſe

esse nutritiuam, respondeo. Ad primum, sicut supra; nimirum illas rationes formales actionum diuersas non sufficere ad constituendas potentias realiter diuersas. Propter producere partem de nouo, vel adproducere; propter producere partem vel totum, non debent cõstitui potentiæ realiter distinctæ. Vna & eadẽ, quæ potest facere vnum, potest facere & alterum; & quæ potest facere totum, potest facere & partem: & quæ potest adproducere, potest & producere de nouo. Sic eadem virtus ignis quæ facit partes ignis, facit & totum ignem; & quæ apponit nouas partes ad præexistentes, producit etiam & partes primas & primum ignem, &c. Ad secundum. Non cuiusuis nutritiuæ obiectum est sanguis: sed solum specifice sumptæ, ac nonnullarum aliarũ specierũ sub nutritiua generice sumpta cõtentarũ; vt lactificæ, spiritificæ. Nutritiuæ generice sumptæ obiectum est alimentũ in communi; vt conuertibile ab anima, & potentia nutritiua: verũ diuersarum specierũ sub ea cõtentarũ obiecta variãt; prout alimẽtorũ diuersæ sũt cõditiones, & species. Chilificæ obiectũ est caro, & panis; sanguificæ chylus; spiritificæ aer; & vapor sanguinis, vel alius spiritus; lactificæ sanguis. Sicut autẽ omnes, etsi sint nutritiuæ, habent tamen diuersa inter se obiecta; ita immutatrix & nutritiua specifice sũpta, etsi sint

ſpecies nutritiuæ generice ſumptæ, & ſint vere nutritiua, poſſunt tamen nihilominus diuerſa inter ſe habere obiecta. Ad tertium reſponſum eſt in ſolutione ad argumentum tertium immediate præcedens. Ad quartum, vtraque reſidet in eodem ſubiecto; immutatiua in ſemine iam animato, quod virtualiter eſt pars, etſi adhuc non conformata; nutritiua in parte iam conformata. Tum enim vocatur nutritiua, cum iam eſt in parte cõformata: immutatiua cum in parte necdum conformata, etiamſi realiter ſit vna & eadem. Vocatur enim immutatrix cum primo vitæ exordio partem immutat; nutritiua cum in progreſſu. Eadem autem realiter ſunt potentia, & quæ primo vitæ exordio partem producit & quæ in progreſſu. Nam in primo vitæ exordio vel in progreſſu eam producere non mutat propterea agentis eſſentiam. Ad quintum, ſicut vnius ac eiuſdem agentis poteſt eſſe producere, & productum conſeruare; ita vnius & eiuſdem finis poteſt eſſe productio, & conſeruatio. Ad authoritatem Galeni, & Auicennæ reſpondeo: eos quidem dicere illas facultates ac potentias eſſe diſtinctas, ſed non ideo dicere eſſe diſtinctas realiter. Ad argumentum à Segarra allatum reſpondeo; immutationem non ſupponere conformationem, ſed ſimul ac ſemel fieri, &

ſimul

ſimul ac pars incipit conformari , incipere quoque ad naturam oſſis, carnis, &c. immutari, etiamſi non tam cito perfecte appareat immutata, ſicut conformata. Interim tamen, quidquid ſit de hac queſtione, ſiue ſcilicet conformatrix ſit realiter ab immutatrice diſtincta, ſiue ſolum formaliter, parum refert, & nihil facit ad meum intentum. Ad meum intentum ſufficit oſtendiſſe formatricem, & immutatricem non eſſe generatiuam, aut ſpecies eius; ſed eſſe alias potentias à generatiua diſtinctas. Si formatrix ſtatuatur realiter eſſe eadem cum nutritiua, ſequitur ſolum duas eſſe ſpecies potentiæ vegetatiuæ, ſcilicet nutritiuam & auctricem, & nullam eſſe propriam ſpeciem, quæ vocetur generatiua, ſed eam ſub nutritiua contineri. Quæ potentiarum vegetatiuarum diuiſio, etſi foret quidem contra Galeni ac Ariſtotelis, aliorumque omnium tum Medicorum, tum Philoſophorum doctrinam, non eſſet tamen propterea contra veritatem; quam omnibus omnium hominum opinionibus, etſi multis ſeculis confirmatis, iudico eſſe præferendam.

Porro quæri etiam poteſt: an immutatrix ſit vna ſimplex potentia; an vero ſint diuerſæ ſpecies eius: ſeu an vna & eadem potētia poſſit has partes ſeminis in os, alias in carnem, alias in cartilaginem, &c. cōuertere: an vero

ad hoc plures immutatrices ſpecie diſtinctæ in ſemine ſint conſtituendæ, quarum vna ſit oſſifica tantum, alia carnifica tantum, alia mẽbranifica, &c. Plures eſſe, ac tot eſſe, quot ſunt partes ſimilares; docet Fernelius 5. Phyſiologiæ cap. 3. & Zegarra com. 1 in Galen. de facult. natur. & videtur poſſe colligi ex Auicenna Fen 1. primi doctrina 6 capite 2. Et probatur ratione. Primo: quia, ſi immutatrix ſit realiter eadem cum nutritiua, vt eſt dictum; ergo quot ſunt ſpecies nutritiuæ, tot debebunt quoque eſſe immutatricis: ſed ſpecies nutritiuæ ſunt plurimæ, oſſifica, carnifica, &c. ergo tot ſunt quoque immutatricis. Secundo, quia non videtur eſſe poſſibile vnam ſpecie potentiam poſſe eandem materiam cõuertere in octo, aut nouem partes ſimilares ſpecie diſtinctas. Neque poteſt dici hoc eſſe propter diuerſas, quæ ſunt in ſemine, ſubſtantias, quarum vna magis ſit conuertibilis in os, & ideo ex ea fiat os: alia magis conuertibilis in carnem, & ideo ex ea fiat caro: eodem modo quo ab vna & eadem ſanguifica fiunt quatuor diſtinctæ humorum ſpecies, ſolummodo propter materiæ, ex qua, diuerſitatem: quia non videtur eſſe tanta in ſemine heterogeneitas, vt illa ſufficere poſſit, & ſola poſſit eſſe cauſa productionis tot diuerſarum ſpecie partium. Tertio, quia dictum eſt eandẽ

eſſe

esse potentiam, quæ primum os, primam carnem, primam membranam fecit in primo vitæ exordio cum illa quæ facit postea reliquo decursu vitæ. At illa quæ toto decursu vitæ facit carnem est specie distincta ab illa quæ facit membranam, cartilaginem, neruum, &c. Ergo & illæ quæ os, carnem, neruum fecerunt in primo vitæ exordio sunt inter se specie distinctæ. Sequela probatur: quia si antea fuissent vna specie potentia, quomodo possent decursu vitæ mutasse speciem, & essentiam suam, & quæ fuisset semel vna eademq; postmodum fieri plures ac diuersæ?

CONCLVSIO decimasexta. Mihi verosimilius videtur immutatricem esse simplicem, & vnicam specie potentiam. Probatur: diuersæ specie potentiæ non possunt residere nisi in diuersis subiectis: at semen non est nisi subiectum vnicum, & simplex; ergo non possunt in eo residere tot distinctæ specie potentiæ. Nam etsi semen quidem non omnino sit homogeneum, quippe genitum ex diuersis tum spiritibus tum humoribus, & sanguine tum arterioso, tum venoso; tamen non est tanta in eo diuersitas, vt illa videatur posse sufficere tot diuersis specie potentiis sustentandis. Secundo, in prima hominis conformatione fit immutatio adhuc valde rudis, & non tam perfecta

ſicuti in iam adultis: at cum actiones fiunt ita ruditer, tum natura ſæpius vna parte vtitur ad actiones diuerſas: ſicuti videmus in plantanimalibus, & inſectis, ac imperfectis animalibus, in quibus vnum organum poteſt inſeruire diuerſis ſpecie actionibus; ergo videtur quod tum etiam poterit vti vna potentia ad diuerſas, ſed inter ſe tamen conſimiles actiones obeundas ac diuerſos terminos producendos: & quod ad illam diuerſitatem ſola partium in ſemine exiſtentium heterogeneitas poterit ſufficere. Tamdiu autem videtur illa immutatrix eſſe vna potentia, quamdiu partes ſimilares ſpeciem ſuam & eſſentiam adhuc perfecte non ſunt adeptæ. Quamdiu enim coſtæ adhuc non ſunt perfectum os, & quamdiu cor, renes, muſculi adhuc non ſunt eſſentialiter caro; & filaméta illa ſeminis quæ debent fieri venæ, nerui, arteriæ adhuc non ſunt eſſentialiter illud, quod fieri debent; tādiu videtur quod vna atque eadem potentia faciat eas: ſed mox vt ſpeciem diſtinctam inter ſe ſunt adeptæ, videntur non amplius poſſe produci ab eadem ſpecie potentia: ſed potentiam quæ fuit ante vnica multiplicari ac in diuerſas ſpecies mutari; per hoc, quod in diuerſis ſpecie partibus tum reſideat, per eaſque determinetur, reſtringatur, ac particularizetur; & ex communi, & vniuerſa-

liore

liore ſpecificam naturam induat.

Ad argumenta in contrarium, quæ certe ambiguam faciunt hanc doctrinam, & merito reddunt hominem dubium, ac hæſitantem in quam partem debeat inclinare, tamen reſpondeo. Ad primum, nego ſequelam maioris propoſitionis: & ratio eſt, quia potentia quæ antea in primo vitæ exordio erat communis, & vniuerſalis, per hoc quod in vno ſimplici, & homogeneo ſubiecto reſidebat, diuerſificatur decurſu vitæ in diuerſas ſpecies per hoc quod in diuerſis partibus ſpecie diſtinctis tum recipiatur, ſecundum quarum naturam non producit deinceps ſemper, niſi diuerſas ſpecie partes. Ad ſecundum reſpondeo: tantã poſſe eſſe in ſemine heterogeneitatem, & ſi non appareat. Sic in lacte nulla ad oculum apparet heterogeneitas, & tamen in ipſo latent tres ſubſtantiæ natura tãtopere diuerſæ. Chylus bene concoctus homogeneus apparet, & tamen in eo ſunt tam diuerſæ partes, vt ex iis diuerſa excrementa, & humores generentur. Sanguis cum effluit è venis, vna homogenea apparet eſſe ſubſtantia, & tamen in eo ſunt fibræ, ſerum, & quatuor diſtincti humores. Ad tertium reſpondeo negando ſequelam: ad probationem dico, diuerſificari pro natura, & diuerſitate recipiẽtis ac ſubiecti cui inhæret.

Finirem, niſi reſtaret vnum dubium Dictum

est in conclusione 13. generatiuam esse spermatificam, & consequenter esse nutritiuam: modo dico; in embryone iam genito est etiã sua generatiua, id est, est in illo potentia illa per quam decimoquarto anno ætatis aut decimosexto poterit generare: id est; est in illo saltem radicaliter. Si ergo illa est nutritiua, etsi conformatrix, & immutatrix quæ sunt in illo, sint etiam nutritiua, ergo illa embryonis generatiua, & eius conformatrix, & immutatrix sunt vna & eadem potentia: ergo conformatrix & immutatrix sunt generatiua: ergo falsum est, quod assertum fuit conclusione 12. conformatricem & immutatricem non esse generatiuam. Secundo: quia, si eius conformatrix, & immutatrix sint eadem potentia cũ eius generatiua; ergo sicut seipsum cõformat; ita seipsum generat: hoc est absurdum, tum quia nihil generat seipsum: tum etiam, quia sic sequeretur potentiam generatiuam non esse potentiam ad generandum aliud, sed ad generandum seipsum, quod est falsum. Ergo. Tertio, quia sic sequeretur eandem potentiam producere semen, & illud in os, carnem, &c. conuertere: hoc quoque videtur esse impossibile. Ergo. Verum respondeo, & generatiuam, & immutatricem, & conformatricem omnes esse nutritiuam generice sumptam, seu esse species nutritiuæ generice sumptæ. Sed ex

ex eo non ſequi eſſe eandem potentiam. nam, etſi ſpecies ſub eodem genere contentæ habeant denominationem generis: non tamen ideo ſunt vna res, ſed ſunt inter ſe ſpecie diſtinctæ. Quia enim ſunt diuerſæ ſpecies vnius generis, ideo ſpecie inter ſe ſunt diſtinctæ. Sicut ergo oſſifica, chylifica, ſanguifica, ſpiritifica omnes ſunt nutritiua; quia omnes ſunt ſpecies nutritiuæ, & tamen inter ſe ſpecie ſunt diuerſę; ita & generatiua embryonis, & conformatrix eius ſunt nutritiua ac ſpecies nutritiuæ, & nihilominus tamen inter ſe ſpecie diuerſæ. Ex quo patet potentiam nutritiuam eſſe duplicem: vnam, quæ tendit ad indiuidui conſeruationem, quæ magis proprie nutritiua: alteram, quæ ad ſpeciei propagationem, & generatiua & ſpermatifica appellatur. Quibus inſeruiunt omnes aliæ potentiæ miniſtræ, tam quæ circa alimenti motum, quam quæ circa conuerſionem verſantur: quales ſunt chylifica, ſanguifica, ſpiritifica, lactifica, attractrix, retentrix, expultrix, &c. quæ tamen omnes ad nutritiuam referuntur, vt ſpecies eius. Finio nunc, & quidquid dixi ſanctæ Romanæ Eccleſiæ iudicio, ac cenſuræ lubens, ac humiliter ſubmitto.

FINIS.

CENSVRA.

Iste de FOETVS FORMATRICE *tractatus eruditus est ac prælo dignus, nihil habens quod Ecclesiasticis decretis aduersetur.*

GVILIEL. FABRICIVS
Apostolicus & Archiducalis librorum Censor.

PRIVILEGII SVMMA.

ALBERTVS & ISABELLA Archiduces Auſtriæ, Duces Burgundiæ, Brabantiæ, &c. Diplomate ſuo ſanxerunt, ne quis citra voluntatem GVLIELMI A TONGRIS, Typographi Antuerpienſis, LIBRVM DE FORMATRICE FOETVS, Authore cl. viro THOMA FIENO, D. Medico, ſexennio proximo vllo modo imprimat, aut alibi impreſſum in ſuas ditiones importet, venalemue habeat. Qui ſecus faxit, confiſcatione librorum & graui pœna multabitur: vt latius patet in litteris datis Bruxellæ, 7. Ianuarij, 1620.

Signat. Steenhuyſe.

